6

EPITHALAMIA OXONIENSIA.

IN AVSPICATISSIMVM,
POTENTISSIMI MONARCHÆ

CAROLI,

MAGNÆ BRITANNIÆ,
FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ
Regis, &c. cum HENRETTA-MARIA,
æternæ memoriæ HENRICI
Magni Gallorum Regis
Filia, Connubium.

OXONIÆ,
Excudebant *Iohannes Lichfield, & Guilielmus Turner.* Anno Dom. 1625.

STC 19031

AD POTENTISSIMVM *CAROLVM* Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem, &c.

Qui tristes Elegos *nuper* (Rex summe) *dederunt*,
Vt redeant Hilares, Pronuba *causa facit*.
Carolus Henrettæ *cùm sit sociata* Mariæ,
Quæ Mare *dissociat* littora, *jungit* Amor.
Pectoribus *veniam da* Fidis, *omnia confert*
Qui probat, & recolit, quæ placuêre Deo.
Ostentent alij spacioſa Theatra, Camœnis
Nil restant prætèr Carmina, Vota, Preces.
Hæ sunt divitiæ, *quas grata* Academia *fundit*;
Nec potis est alio Thure *litare* Iovi.

Quisq́ suum prodit genium, vox omnibus vna est,
Germinet è tali fœdere prisca fides;
Sicq́ Stuartiaden redamet Borbonia proles,
Quilibet vt celebret Lilia iuncta Rosis.

Serenissimæ Vestræ Majestati à
Sacris, & Professor humillimus

JOHANNES PRIDEAVX
Vniversitatis Oxonienſis
Procancellarius.

In nuptias Regis Caroli & Mariæ Reginæ.

QVisquis *amat*, sentit, quàm sint *Connubia* grata:
Quæ par *conditio*, castus & vnit *amor*.
Anglia quid sibi non, sibi quid non *Gallia* spondet?
Cùm recubant fausto sic *duo Regna* Toro.
Sim *vates*, vivant, vigeant, tot sæcla, tot annos,
Vt mea musa *alios* non celebret *Thalamos*.

Robertus Dormer Baro de
Wing è Coll: Exon.

In Nuptias Caroli Regis Augustissimi ante Coronationem celebratas.

FIt Coniux *Carolus*, nondum Diademate cinctus
Et prima est Anglis pompa iocosus Hymen.
Nolit adhuc capiti curarum imponere massam,
Oscula vt Vxori liberiora daret.
Nolit adhuc implere manum molimine sceptri,
Sponsa vt in amplexus tota soluta foret.
O Virgo, cernis, quàm nunc suus esse laborat,
Quo meliùs possit CAROLVS esse Tuus.
Splendida Coniugio invideat, Veneriq; Corona;
Cuius Vincla magis, quàm Diadema, placent.

Carolus Howard Miles filius *Caroli Howard*
Comitis Nottingamiæ, ex Æde Christi.

In auſpicatiſſima Regis Caroli *&*
Mariæ *Reginæ connubia.*

COnnubio in tali, quem non iuvat eſſe *Poetam*,
Cui ſalit in toto pectore *mica ſalis?*
Magno Magna venit Coniux *Borbona Stuarto*,
Surculus è tali *ſtipite* qualis erit?
Magnanimus, Sapiens, haudquaquam *indignus Auorum*,
Cuius & in vultu vivat *vterque parens.*

Iohannes Roberts Baronis
de Truro filius vnicus
è coll: Exon.

Ad Sereniſſimam Reginam Mariam
vt adventum acceleret.

FEſtina *Caroli, Maria*, noſtri
Dulces deliciæ, meriq; amores:
Feſtina, ah nimiùm videre tarda,
Quamvis præproperâ vehare pennâ
Euri præcipitis, leviſq; Cori.
Feſtina, propera: nec ipſa ſceptra,
Nec cingi *Carolo* placet coronâ,
Donec te videat ſuos Amores,
Non vulgaris honos, facéſue viles
Inuitant properam, excitantq; tardam.
Pro ſponſo cape quemlibet deorum.
Vel ſi ſit nimium periculoſum;
Ad libræ arbitrium deos vocare,
Atq; hunc ſumere cæteris negatis;
Feſtina ad *Carolum*, tuos Amores,
Atq; vnà cape quicquid eſt deorum.

Eduard; Herbert. Baronis filius
è Coll: Diu: *Joan*: Bapt.

Epithalamia Oxonienſia
CAROLI & MARIÆ.

OBſequitur Sarah, Ribkah ſapit, almaq; Rachel:
Tres Patriarcharum conſortes, & tria dona.
Hæc tria conſortem decorent; Te, Carole, ditent;
Fulgeat his Conſors; his lætus, CAROLE, gaude.

é Sanctæ Trinitatis Collegio:
Præſidentis votum.

FLevimus extinctum crudeli morte IACOBVM,
Delicium *Oxonicæ*, quòd fuit ille, Scholæ.
Eſt noua nunc rerum facies; nunc triſtia lætis
Mutata: & nobis gaudia mille fluunt.
Nunc etenim *Henrici Ter-Magni filia* nubit,
Quâ nihil in toto pulchrius orbe micat.
Hanc ducit noſter, totîus gloria mundi,
CAROLVS; *Angliaci*, ſpes, columenq; ſoli.
Dicite, Iô, mecum: reſonent modulamine montes;
Perſtrepet et modulis, vallis vbique, novis.
Nunc quiſquam metuet, cum ſit *Bourbona Stuarto*
Iuncta? & ſint iterum *Lilia* iuncta *Roſis*?

Sebaſtianus Beneſield, S.T.D.
et Profeſſor publicus.

Epithalamia *Oxonienſia*

Lilia iuncta Roſæ.

GAllica, quàm latè, vernantia Lilia, fragrant!
Anglica, quàm grato ſpirat odore, Roſa!
Quàm benè conſpirant, ſuauem geminantia odorem,
Gallica cum Angliacâ Lilia mixta Roſâ!
Suauitèr, ô, longùm ſpiret Par nobile Florum!
Et crebrâ ſobole Séq; , Suoſquè beet!

Io. Rawlinſon, S.T.D. Aul.
S. Edm. Princip.

REgalis thalami cum legeris (Optime Princeps)
Regalem Sociam: tendens ad Sydera palmas
Vota facit populus concordi voce Britannus:
Vt qui coniugii fuerat Sanctiſſimus author
Coniugio fælix aſpiret gaudia veſtro:
Vt qui coniugium voluit, menſaſque iugales
Adventu decorare ſuo, factoque ſtupendo,
Coniugio preſens veſtro benedicat, aquoſos
Dulcia conuertens vobis in vina liquores.
CAROLE te coniux hilaret: Sit palmitis inſtar
Vberis, et cingat viridanti mœnia fronde:
Vt ſua diffundit plantaria pinguis oliua,
Sic pulchro nati circundent agmine menſam.
Vivite fælices: per vos Eccleſia Chriſti
Floreat, augeſcat pietas: et fœdere certo
Sinceræ fidei Gallos vnite Britannis.

Io. Parkhurſt, S.T.P. Magiſt.
Coll. Baliol.

FÆlix connubium quod carnem conſtruit vnam,
Vnum cor, vnis Lilia iuncta Roſis.
Vna fides, baptiſma vnum, Deus vnus & idem eſt;
Quidni Religio, dicite pacifici?

Sam. Radeclif. Col. Æneï-Naſ. Prin.

NVnc vltrò Salicam reſcindet Gallia legem,
Sponſo Mariæ CAROLO:
Sed neque reſcindat; nam virtus maſcula prolis
In fœmina arguet marem.

Ro. Pinck, S.T.D. Novi
Col. Cuſtos.

Ad Angliam.

QVæ modò lugubres voces, triſteſque querelas
Fudiſti, mæſtis pænè ſepulta modis,
(Anglia) nunc riſus, cantus, et gaudia ſume,
Tam ſubitò triſtes præteriêre dies:
Fata tibi indulgent, & læto Iupiter ore
Mittit in amplexus gaudia quanta tuos!
Quàm ſubitò damnum reparat? ſævéque benignus
Dat bona dum tollit, dum perimitq; beat!
Nam nunc pro tumulo thalamus, pro rege ſenili
CAROLVS, & dulcis ſponſa Maria datur;
Qui tibi IACOBOS plures, Caroloſque propagent,
Et tandem æternâ poſteritate beent.

Sis fælix (Hymenæe) precor, quid gaudia differs?
Pro tantis non sunt improba vota deis.

Thomas Iles, S.T.D. Aulæ
Cervinæ Principalis.

VT primùm CAROLVM vidit maturior ætas,
Ecce pater regnum vel quasi sponte dedit:
Assignata tibi vidit cum tot peragenda,
Curavit moriens vt tibi vita foret.
Vt sponsam paci, bello sociauit amicos,
Prospicit en sapiens cuncta parata forent:
Quæq; evanescens sibi vita negauit agenda,
Et cupit & curat perficiat CAROLVS.
Sis sponsa fælix, armis sit fausta corona,
Quòq; Deus valida dirigat ito manu:
Et nomen tremuli, formident Cæsaris hostes,
Dum genus tota valet pace Britanna frui;
Et cum maturum capiat te serior ætas,
Det, Deus vt simili sæcula prole bees.

P. H. Doct. Theol. &
R. Coll. Lincoln.

QVi modò IACOBI tristes deflevimus vrnam,
Nunc hilares CAROLI coniugium canimus,
Et ratio est, vno extincto generetur ut alter,
Qui sit IACOBO par, Caroloq; suo.

Quæ duo divisit tumidum mare proxima Regna,
Iunxit amor, quidni iungat & vna fides?
Iungit, & Anglitam Galli, fit Gallus & Anglus,
Sic animos vnit, non loca, verus amor.

Mer-

Mercatus-novus vt placuit, *Royſtoná*, IACOBO,
Sic placeat noſtro *Woodſtochium* CAROLO,
Reginæq; ſuæ; nos ut propiore beare
Poſſint aſpectu lumina Magna duo.

Vxorem duxit menſis quòd tempore MAII
CAROLVS, hæc ratio eſt; ut *Philomela*, chorus
Cælorum totus, flores, ridentia prata,
Frondes & valeant exhilarare Thorum.

Vna relicta Soror Regali ex ſtirpe IACOBI
Oſtendis quàm ſit CAROLE chara tibi,
Gaudia dum Thalami celebrans feſtiva, ferocis
Mittendi intereà tu memor Auxilii.

Ioſua Aiſgil S.T.D.
& C.C.C. Socius.

CAROLVS FELIX.

FElix Imperio pacato Magne Monarcha;
Marte potens, Felix pace tuere Tuos:
Felix obſequio, Syncero & amore Tuorum;
Felix ſub tali Principe quiſque Tuus.
Felix inviſis Gallos, & Iberica regna;
Felix, multa vides, multa ſapiſque, redis.
Felix tu germen numeroſo ex ordine Regum;
Felix firmato ſtemmate ſceptra tenes.
Regali Felix Affine, Sorore, Nepote;
Felix vicinis: Hos quoque Tute beas.
Coniuge Tu Felix, Hæc Te quoque coniuge Felix;
Felix qui tali Traduce natus erit.

Epithalamia *Oxonienſia*

Sis Carolo Magno Maior, re, nomine Felix;
Felix Imperio, Coniuge, Prole, diu.

Tho. Clayton, Med. Prof. Reg.
Coll. Pemb. Mag.

IGnes deorum, regioſq; fervores,
Et *nuptiali* quod libentius *feſto*
Ignoſcitur poema; viridior Muſa
Iuvenumq; celebret charta, pronior quĕis eſt
Sui furoris venia, quĕis magis flagrat
Venus & Poeſis: Nos decentior flamma
Pietatis exercebit & precum feruor.
Non coniugales hîc Deos, poetarum
Numina; ſed ipſum *Numen*, & *Iacobæum*
Tuumq́ verum pronubum laceſſemus.
Cui tam beati eſt debitus tori nodus,
Cui coniugati eſt debitus tori fructus
Anglia perennis Carolusq́ nascendus.
Priùs Iacobvm in Carolo propagauit,
Iam Carolinam Poſteris ſerit ſtirpem,
Vt rege nunquam deſtituta Iacobi
Sedes, nec *Anglia* deſtituta Iacobo.

Guil. Iuxon Col. D.
Ioh. Bap. Præſes.

IVppiter in cælis, in terris *CAROLVS* almam
Iam tenet Aſtręam lætus uterq; ſuam.
Vtrobiq; micat Venus, illîc clara Gemellos
Luſtrat, & hîc dulcis mater amoris adeſt.

Iohannes Bainbridge, Med. D. Aſtronomiæ
Profeſſor Savilianvs.

MAriam duxit CAROLVS: par fœdus vtrinq;;
Regalis ſoboles quod ſit vterq; parum eſt.
Illa quod *Henrico*, natus quod Patre *Iacobo*
Hic fuerit, non eſt hoc, mihi crede, parum.
Huius Pace fuit Pater inclytus, Illius Armis:
Sic coeunt vno Bellaq; paxq; toro.

Si partus ſequitur ventrem, divina propago
MARIÆ & CAROLI Fulmina Martis erunt.
Si ſit Gignentis virtus in ſemine, proles
MARIÆ & CAROLI Pignora pacis erunt.
Gratulor huic Terræ, cuius qui Sceptra tenebunt,
Pignora pacis erunt, Fulmina Martis erunt.

T. T. *Iohannenſis*, S.T.B.

Dicit Rex.

QVis negat illicitum me non duxiſſe MARIAM?
Coniuge qua cauſam relligionis agam,
Quaq; bonum patriæ ſolâ defendere poſſim:
Si non duxiſſem quis negat illicitum?

Benedicit Subditus.

Euge! licet; terrene Deus, modo duxeris vnam:
Plures non licet (hanc papicolaſq;) ſimul.

Io. Randal Sac. Theol. Bac.
è Coll. Æn. Naſ.

Epithalamia *Oxoniensia*

Τοῦ ΚΑΡΟΛΟΥ τῶν Βρετανῶν ΣΕΒΑΣΤΟΥ, καὶ ΜΑΡΙΑΣ ΗΡΩΙΝΗΣ, ἐπιφανεστάτης ΓΑΜΗΛΙΑ.

ΖΕΥΣ ΚΑΡΟΛΟΣ μετὰ Ζῆνα Μέγας γίνεται, μετ' Ἀθήνην
Αὐτὴ Ἀθηναίη ΜΑΡΙΑ ἐστὶ φίλη,
Καὶ ἐγὼ Οὐρανίδεσσι τὴν Ἄνδρα, Γυναῖκα τ' ἐίσκω,
Ὅττ' ἐν ἐπιχθονίοις πάνθ' ἑτεροῖα πέλει:
Ἀτρεχέως Παράκοιτιν ἰπάξιον εὕρετο, Ἀγγλῶν
Ζεὺς ΚΑΡΟΛΟΣ, μάκαρι ἔνθα καὶ ἔνθα δύω:
ΜΑΡΙΑ εὖ ἐπίτικτε, μογοστόκος Ἄρτεμις ἔστω,
Σοὶ παίδων παῖδας δὸς Θεὲ ἐσθλὲ ἰδεῖν.

Augurium Nuptiale.

Accepit CAROLVM pia vbiq; Britannia Regem,
Hunc MARIA dabit prole beata Patrem.

Memoriale Britannicum.

Res mira in terris fit, Sol, Phœbéq, in eodem
Dum simul ostendunt Lumina plena loco.

Aliud.

Cedant Priscorum redeant si tempora in aurum,
Sæcula Phænices nostra tulêre duos.

Ric. Tapper Art. Mag. è Col. Wad.

FOeminea est pietas tantùm dolor: ille profanat
Iacobi cineres, nimio qui funera fletu
Irrigat, officio pius & sceleratus eodem.
Non periit, miser & mortalis desiit esse;
Nec finis vitæ est vitæ immortalis origo.
Bellum, inimicitias, Martem iugulare ferocem

Virtutis

Virtutis qui duxit opus, meliusq; triumphis,
Pacificus placida compôstus pace quieſcit.
Non aconita, enſis, nec pulvis pyrius illum
Suſtulerant; ſed quæ medicina eſt regia febris.
Nam medicina magis, quam morbus, ponere finem
Qui morbis potuit, curis, mortiſq; timori
Tantum; & fœlici damno mutare coronam.
Continuè, avulſo ramo non deficit alter
Aureus: & regno ſimul et virtutibus hæres
CAROLVS accedit, viuit *Iacobus* in illo.
Regnat adhuc, ſceptrum ſimilis votiſq; ſibiq;
Dum geſtat patri non inficianda propago.
Connubioq; (potens quæ infatum machina ſola eſt)
Iungitur, vt præſtet ſoecura immortalia morte
Inuitâ: ne marceſcat cum rege corona,
Flamma libens tædæ cecidit funeſta iugali.
Dicit ió gens tota: oblitæ triſte ſonare
Bombardæ effantur, nequeunt quæ gaudia voces
(Gaudia digna viris & Muſica Principe digna)
Fit plauſu tonitrus, non motâ nube, dieſq;
Lætitiæ flammis Phœbo ignorante relucet.

Rob. Newlin M. A. Soc. C. C. C.

IACOBI Exequiæ valete longùm;
Et quæ funereo gregi intuliſtis
Feralem manibus facem nigellis
(Seu Parcæ Furiæue) tres Sorores
Exite: en totidem chorus Sororum
(Siue illæ Charites Triplicesue Gentes
Quæ *Steuartiade* iugo recumbunt)
Pulchellis manibus facem lugalem

Attollunt CAROLO, facem serenam,
Suauem, cui melior refulget ignis;
Sed quam luminibus marita vincit.
Illi nec thalamos negotiatur
Pictor pronubus, aut Tabella mendax
Formosum malè pcierat colorem:
Vidit comminus ora destinata
Et frontis meminit decus venustæ,
Cum vultu famulo perambularet
Europam CAROLVS, procus Dianam
Tanto qui superet labore dignus,
Et zonam superis ferat negatam.
Gallis quid Britonas diremit æquor?
Frustra dissecet vnda, quos Amoris
Iunxit flamma pari calens medulla:
Oræ huic annuit Ora, dum vicissim
Propendit Dorobernium Caleto,
Expectans Dominam breui futuram.
Quę quocunq; trahit refert & auram,
Afflatu violaceo malignæ
Pestis leniet impetum furentem:
Tali quid facient Preces in Ore,
Si tantum valet halitus per ora.
Quà planta gracili sigillat herbam,
Flores prosiliunt, rosæq; gemmant,
Et vestigia Gallicæ puellæ
Gentis Lilia nota prosequuntur.
Io sumite chartulas Poetæ,
Prębebit calamos Amoris Ala,
Exurgensq; Venus Mari propinquo
Stillantem digitis feret liquorem,
Quo non salsior omnis Hippocrene.

Vt vidit sibi comparem Dione
Sed non inuida pręterisse Nympham,
Festinans thalamo interesse tanto
Iunctis piscibus ocyus parauit
Quadrigam madidam, & salo relicto
Currum tradidit Aridum Columbis.
Carpens Aure viam comes Cupido est,
Quęrens an Genitrix sit hęc vel Illa:
Et circumvolitant greges euntem
Pennati, famulum genus Deorum,
Libertas vaga, blandiens Iuventus,
Pallores tremuli, procax & Ira,
Et suspiria, Dona, Lacrymęq;,
Et Periuria, Furta, Cantilenæ,
Dulces Excubiæ, leues Choręæ,
Mentis Suada potens, Iocus solutus,
Et Risus petulans, Calorq; Vernus.
Sed dum Pectore Regio triumphat
Arcus Maximus, involant Ministri
In Plebem, Pecus, Arbores, Avesq;.
Hinc sponsalia computant amantes
Expectantq; diem sacratiorem,
Tantis ominibus, diem beatum:
Quò fatis CAROLI simul fruentes
Se iactent ita subditos videri;
Quò partum generent patres coævum
Infanti CAROLO; late in paterno
Qui colludere gestiet Ministris,
Et Legem dare parvulis iocosam.
Hinc vitis renouat suos amores
Vlmum nexibus implicans virentem,
Amplexuq; Hederę tenaciori

Sponſatos cupiunt ligare truncos,
Et Rami ſimul oſculantur omnes.
Hinc Paſſerculus ambiens amicam,
Aſſultu thalamos rogat frequenti,
Et paſſim volucres maritat Hymen,
Vocalis Philomela, ruris Hymen,
Hinc Magnes ſocium fouet metallum,
Naturæ faciesq; tota & omnis
Exemplo CAROLI procatur Orbis.
Sed nondum Veneri ſatis peractum eſt,
Vulcani ſimul advocat laborem,
Vulcani vt varius iocetur Ignis,
Et fument hilari pyra plateæ,
Cymbam navita, Ruſticus Ligonem,
Tonſor pectina mittit in favillas,
Oris fruſtula, buxeoſq; dentes,
Iniectant Vetulæ, ſenes bacilla,
Claudi fraxina crura, iamq; flammas
Nil impunè videt quod vlq; Lignum eſt.
Ludens arte noua volat per auras
Ales flammea, ridet & Comeras.
Quamvis hoſtibus ipſa ſit Cometes.
Iam rauco Thamiſis ſono reſultat,
Et plauſus, Borea ferente, noſtri,
Cœli ceu tonitrus remotioris
Terræ finibus ingruunt Iberæ.
Virgo Regia dum ſequente pompa
Londini ſilices terit ſonori,
Hâc omnes populi ſtupent in Vnâ,
Quę pompa eſt ſine Curribus vel ipſis
Cui blandirier vlla non Miniſtra
Nouit, nec Speculum nimis benignum.

Iam supplent Oculi locum Fenestræ,
Et tectum domini tegunt sedentes,
Vrbs nec sufficit omnis in Theatrum,
Suggesto innumero laborat Aura,
Spectatorq; supremus astra tangens
Audit Cantica cælitùs refusa.
Vos crudę neq; nubiles puellę,
Septennes Pueriq;, dum videtis
Hęc spectacula, fabulas senili
Has olim liceat referre mensę,
Hęc natis referant fide ex paterna,
Et tradant Aliis, suis & Illi,
Annos nec numeret futura proles
A Gallo* Domitore, sed Marita. *Guilielm.

Tergemino Sponsus munivit Sceptra Leone,
Sponsa venit gremio Lilia trina ferens;
Fortia sic Teneris iunxit Concordia felix:
Ille Leoninus Mars erit, Illa Venus.

Guil. Strode, Art. Mag.
ex Æd. Chr.

TAndem sydere prospero regente,
Sulcos magna Ratis terit profundi:
Arisque & precibus diu expetitam
Neptunus Mariam dedit Britannis!
Quæ, iam tędia longa Nuptiarum
Expectantia plurimos Senatus
Et multùm fene penitata barbâ
(Heu moras Iuveni nimis molestas)
Absoluit, properante vecta ligno.

Quam nunc brachia *Caroli* coronant,
Et fælicibus impedire vinc'lis
Geſtit, integer hactenùs nec vnquam
Nexu fæmineo impeditus ipſe!
Vltrò iam ſibi compedes beatas
Indit: ſitqúe catena vincienti.
Abſit nunc procul ô profana Muſa,
Nec laſcivia carminis propinquet
Caſtis ignibus & ſacro cubili!
In quo vita Britanniæ preceſq;
Et ſpes eſt ſita, *Carolus* futurus:
Fælicis labor exituſq; Noctis.
Qui Te olim reparet ſuperſtitemq;
Poſt Cælos faciat tuis Britannis:
Qui nos reſtituat ſuperſtiteſq;
Conſeruet *Carolo* ſuos Britannos.

Ioh. Tyerman, è Coll. Linc.
in Art. Mag.

VNit regna *Iacobus* ut Monarcha;
At magnus *Carolus-Maria* mundos
Diuulſos ſociâre nunc in Vnum.
Fælix Inſula Continens vocetur,
Quòd factum Pelagus cruore fuſo,
Dum gens vna triumphat ex ruinâ
Funeſtâ alterius; fretum vel ortum
Denſatis lacrymis Scoti, Britanni,
Gallorum, cecidit quòd hic, & illic
Henricus modò multiplex, *Eliza*,
Nupèr qui Pater omnium *Iacobus*,
Siccetur mare: gaudium triumphet

Gallorum,

Gallorum, Britonum, solum solutum est:
Quod clausum mare, liberum est vtrinq;
Communis modò terminus duobus.
Si quod marmore dedecus superfit,
Libris, aut animis querela, marmor
Omnes æquoreum abluat, regátve.
Æquor sit Thamisis perennis orbis,
Quò *Galli, Britones* eant, recurrant,
Et tutò celebrent aquâ triumphos.
Hic, illic polus, & salus vtrique,
Si nec sit medium fretum, vel amnis,
Vndas tu reputes solo supernas,
Nubes, Cœlicolas super locatas,
Dum portent *Carolum* sinu, & *Mariam*.
Illustres Veneti sibi maritent,
Sponsam non inopem, fretum quotannis;
Æquor pacificum Monarchias, par
Mundi consociavit æmulum. æquor
Sit templum, liber, annulus, sacerdos:
Circundant, redamant, beant *Britannos*,
Cultores, *Carolum* mare, & *Mariam*.

Michael Glyd ex Ædc Christi
Artium Mag.

IAm luctus animo pelle *Britannia*,
Rivos claude; satis iam lachrymis datum.
Quem flea, ipse vetat fleré diutius
Iacobus, benè qui consulat vt tibi
Lætum connubium constituit priùs
Sceptris quàm positis sydera scanderet,
Perfertes abitum mollius vt suum.

Quin

Quin, sistas lachrymas, Rex novus imperat:
Cui tristes dolor est cernete subditos,
Teque vt lætifices, en tibi nuptiæ
Lugenda omnia quę damna resarcient.
Sponsus Rex *Carolus* Regibus editus
Est regum soboles sponsa potentium:
Sponso non alius Rex generosior,
Tali digna viro Sponsa nec altera.
Virtus, nobilitas par in vtroq; in est,
Olim maior eris magna Britannia,
Adiecto titulo *Gallo-Britanniæ*.
Adsis Fautor Hymen, Gratiæ amabiles
Cum Nymphis veniant, *Cypria* & hic choros
Ducat virgo leues, omnia gaudia
Hunc circum volitent & decorent torum.
His ô crescat amor mutuus in dies,
Atque horum à thalamo lis procul exulet.
Proles pulchra suo sit quoque tempore.
Regem summe deus protege *Carolum*,
Reginamq;, tuo numine coniugem.

Γᾶν αὐτῇ δώκας βασιλεῦ σκηπτοῦχε, Βρετανῶν,
Νῦν πέλει ἡμετέρη γηθοσύνη τελέη.
Λέπτυνες κλαυθμοὺς, ὅτι σοῦ βασιλῆος ἐόντος
Ἄμμι δοκεῖ ἴσχειν Σκᾶπτρ' Ἰάκωβος ἔτι.
Ἄννα δὲ σωφροσύνας πτράδειγμα γυναιξὶν ἀπῆ δὴν
Ἥτις ἀναζῶσ' ἐν τῇ Μαρίῃ διέπει,
Χαίρετον ἄμφω. Ἀλβίων πελέτ' Ὀλβίη αὖθις,
Τὸν γὰρ ἄνακτά θ' ὁμοῦ ἠδὲ κ' ἄνασσαν ὁρᾷ.

Ed. Sylvester, Art. Mag. Bal. Col.

An-

ANgligenæ *Gallos* vicerunt Marte priores;
Gallica nunc Anglos vincit amore Venus.
Fortior vtralibet gens eſt vtrâvis: At olim,
Vtraq; cùm fauſto ſydere iuncta fiet;
Illius audebit pulchrum quis carpere Florem?
Huius magnanimam quiſvè ciere Feram?
Ignibus* Hæc miris* Papæ haùd terrebitur; Ille
Nec Capitolino fulmine tactus erit.

* *Leonem maximè terrent ignes. Plin. lib. 8. Nat. hiſt. c. 16.*
* Apoc. 13. 13.

T. C. in Art. Mag. Col.
Ænei-Naſi Soc.

QViſquis lætitiâ Anglorum, *Caroloq;, Mariâ*
Non niſi digna facit carmina, nulla facit.
Connubium tantum celebrare ſilentia nôrunt,
Et non poſſe loqui pondera vocis habet:
Verè lætatur, ſinceraque gaudia fundit
Lætitiâ victus qui ſtupet, atque ſilet.

P. S. Au. Cer. Art. Mag.

IAm tempeſtivo iubet indulgere furori
Publica lætitia; & quem non tot, tanta Poetam
Gaudia fecerunt? ſi quis iam mutus, amore
Ingeniove caret; non lætos fundere verſus
Impietatis opus, tacitoſque ſilentia damnant.
Vnita eſt CAROLO noſtro iam noſtra MARIA,
Terra maritatur terræ, tota *Anglia Gallis*,
Fælices ambæ gentes pia gaudia fundunt.
Exultant *Galli*; quam *Gallia* ſola puellam
Fecerat, vxorem CAROLVS fecitq; potentem
Reginam,

Reginam, thalamo fruitur, diademate eodem.
Soluimur in riſus *Angli*, lepidiſq; cachinnis
Quiq; ſtudent, noſtris luctus procul exul ab oris:
Gaudendo morimur, placidis occumbere fatis
Gens ambit ſtudioſa mori; ſic quiſque ſepultus
Funere lætitiæ; placet ingens gloria lethi.

Edmundus Staunton, Art.
Mag. C. C. C. Socius.

In fauſta CAROLI, *&* MARIAE *connubia votivum Epithalamium.*

IVno, Diana, Venus, ſedes liquêre ſuperas,
Tædis præbentes (CAROLE) dona tuis:
Divitias Iuno, thalamum Lucina pudicum,
Dat Venus, & ſobolem, & gaudia certa thori.
Gaudia, divitias, ſobolem, & caſtos Hymenæos
Quæ dant connubia, hæc (CAROLE) fauſta cano.

Tho. Venables, Art. Mag.
ex Aula Magdal.

Aqua igni abſorpta.

DIluvium genuêre novum tua funera, IACOE;
Lumina dum fletu, vt flumina quæq́ fluunt.
Verùm abſumpſit aquas Lacrymarum tæda rugalis
Flammea, quam *SPONSO* Dia *Maria* tulit.
Gaudia, QVÆ, quoniam apportavit, fletibus orba,
In gremium vt redeant fœtibus aucta, precor!

R. L. ex Aul. Sancti
Edm. in Art. Mag.

SOl post nubila. Vix vices peregit
Lugubres Libitina, cùm coruscas
Igni accendit Hymen faces, iubetque
Absterſis lacrymis, adhuc madentes
Exſiccare genas, & ore læto
Sic lætas Charites ſequi canentes.
O pars, ſed potior, tui IACOBI,
O rex CAROLE, quem colemus omnes,
Et cui noſtra tumeſcet ara thure;
Innixam tibi ſuſtineto vitem;
Sic uvas feret illa delicatas,
Sic tu prole tuâ beabis *Anglos*.
Tuque (ô virgo! tui, decuſque ſæcli,
Et ſexûs) placidæ benigna genti
Adſis. Iungite dexteras iugales
Ambo, iungite *Galliæ Britannos*,
Ruptas iungite *continentis oras*
Vt rurſus veteri fruamur *Iſthmo*.

Nat. Fenie, filius Vice-Comitis
Say & *Seale*, & Novi Col. Socius.

ANAG.

MARIA HENRETTE.
MERA nitet HERA.

SAt tua te ſplendens illuſtrat, CAROLE, virtus:
At *Mera* ſplendorem, quæ *Nitet*, auget *Hera*.
Si modò terrarum Sol ſufficit vnicus Orbi;
Anglia, cui duò ſunt, poſtmodò Qualis erit?

Epithalamia *Oxonienſia*

Anglia ad Galliam.

Me licèt à veſtris æquor diſterminet oris,
Poſſumus invito mentes ſociare profundo.

Gallia.

Deſine Neptunum cauſari, deſine longas
Angle vias; propè ſunt qui poſſunt iungere dextras.

Guiliel. Blount Iuriſta Novi
Coll. Socius.

In optatiſs. Car. Regis ſucceſſum.

Ἀνάγραμμα.

Carolus Steuartus Jacobi hæres.

ANAG.

Tu ſacer Ioſua hoſte lucraberis.

Tu *ſacer* extincto *lucraberis hoſte*, quid obſtat
Ioſua? nempe valens ipſe volenſque eſ es.

I. G. Art. Bac. é Coll. Oriel.

TOto iam Britones quis ſcindi dicet ab orbe?
En nobis iunxit virgo *Maria* ſuos!
Salue feſta dies, niueo ſignanda lapillo,
Dulci connubio quæ duo regna iugas.
Iam dicas minima contentos nocte *Britannos*,
Et lunæ, & ſoles *Albion* irradiant.

Tho. Dauis, Coll. Reg.

In nuperam coniunctionem mirificam Augustiss. Regis Caroli, Leonis Britannici, *cum illustriss.* Mariâ, Virgine Gallicâ.

ERrant Astronomi toto (mihi credite) cælo,
Qui triginta gradus cæli distare * *Leonem*
Virgine contendunt: at nunc σύνδεσμος eosdem
Coniunxit; longo nec dissociabitur ævo,
Hæc nisi *stella cadens* aut illa, relinquere sphæram
Cogatur: longè quod tardet Rector Olympi.

* *Alsted. vranoscop. Quodlibet signum δωδεκατημόρας 30. gradus continet.*

Rob. Dyer, ex A. Cerv. A. B.

Anagrammatismi in auspicatissimas nuptias CAROLI *Regis Angliæ &* MARIÆ *principis serenissimæ Galliarum, &c.*

CAROLVS-MARIA.

Omen & ex ipso nomine sæpè datur.

REsurge tandem, deseras humiles gradus,
Et *CLARIORA MVSA* sylvestris pete.
Non vile celebras numen, aut humiles deos;
Sed cuius actis pristini cedunt dei.
MAIORA CLARVS CAROLVS semper facit.
Spectabis ipsum quàm potens bello siet?
LORICA AMARVS, ense crudeli est ferox.
An pace? *CVRA* semper, imperium suum,

MORA vel *ALIS* ut petit tempus, regit.
An, quâ beatur, coniugem? (cur iam stupes?)
CVRA est deorum, *LIMA* naturæ, *ROSA*
Anglis nova inserenda; *VIS CLARA* est *AMOR*
Violanda nunquam, quæ duos vnum facit,
Et simul utrosque iure sacrato ligat.
OCVRA MIRA numinis, *SOLA* omnibus
Celebranda laude, cuius extremas vaga
Visura terras fama superavit fidem?

Ad Regem CAROLVM.

Κήρολε ΚΗΡ ΟΛΟΣ ἔστι κολὸν, θαύμαστον, ἀρεκτόν.
Οὗ τρία ἐστὶ μέρη; σὺ, βασιλεία, γυνή.
Συμβιόουσι γυναικὶ ἄνηρ, βασιλεὸς βασιλεία,
Συμβιόουσι δὲ σοι ἡ βασιλεία, γυνή.

H. B. Art: Bacc. Coll. Divi
Ioan. Socius.

In Moram Nuptiarum.

INdulsere suas vobis, Par nobile, vires
Sydera; & ascripsit totus Olympus opem,
Sollicitusque *Henretta* tui, Diademate donat;
Connubii precium nostra corona tui est:
At veluti *Caroli* caluisset amore, *Mariæ*
Tanquam riuali, *lentè* Erucina dedit.
Tempestiua tamen, quamvis sit fera voluptas,
Speramusque Deos præmia ferre moræ.

Ar. Williams, Orielensis.

Huc,

HVc, huc Pieridum chorus Sororum,
Huc dulces Charites, Minerua, Nymphæ,
Et quotquot colitis simul Dearum
Doctos *Oxoniæ* lares, adeste.
Nunc vestris opus est, Deæ, Camænis,
Nunc plectris, Citharis, Lyris Canoris.
Blandum Calliope melos refunde,
Et pulsa digitis Chelyn venustis.
Adsis Phœbe Chori Pater diserti,
Argutamque manu Lyram peritâ
Tangens, pange novum, & repange cantum.
Clarus CAROLVS, *Anglicus Monarcha*,
Adiunxit sibi *Mariam*, Sororem
Regis Galligenûm, sui fidelem
Consortem *Thalami*. Diem dicate
Festum Pierides. Ouate *Nymphæ*,
Spargatur *Violis* humus rosisque,
Panchaioque domus odore spirent.
Fumet, quicquid *Arabs*, *Sabæus*, *Indus*
Nobis ferre plagis solent remotis:
Et *Pæana* simul sonate lætum,
Fausto sidere ducat Hic Maritam,
Fausto sidere nubat Hæc Marito.

Geo; Wall, in Art. Bacc.
& Coll. Æneæ-nasi.

ASpicis vt Phœbum sequitur nunc *Gallica Daphne*,
Nec cognata timet littora casta *Venus*.
Promptam fecit amor. faueant successibus, opto,
Teliger ille puer, Gratia, Nympha, *Venus*.
Aspice vt accepit Iunonem é litore noster

Iupiter,

Iupiter, & vigilans oſcula iungit amor.
Sperat fælicem nunc læta *Britannia* prolem,
Intrat namque tuum CAROLE *Diua torum*.

Io. Williams, Coll. Oriel.
Commenſalis.

ECce iterum ſocialis amor tibi *Galle Britannus*
Copulat; & quas Neptunus ſecreverat oras,
Iungit Hymen; veritus ne in ſaxa rigentia funus
Iacobi extincti conuerteret omnia. Plaude
Anglia; bina tuúm compenſant gaudia luctum:
Ecce refert CAROLVS IACOBVM, Annamq; *Maria*.
Quos vitâ referunt, referant ætate; pariq;
Progenie noſtrum verè *Olbion Albion* eſto.

Rich. Owen: Art. Bacc.
Coll. Oriel.

Ad Regem CAROLVM, *Sponſæ ſuæ* MARIÆ *obuium ſe ferentem, in* Littore ad Dubrim.

ORire læto à *Littore*, CAROLE,
Et, negligenti cætera *Sidera*,
Fulge *Carine*, quam per ægras
Vrget aquas Geminus Cupido.
Dum languet Eurus pronus ad oſcula,
Lentoque Nereus impedit ambitu;
Fauetque Velis Amphitrite
Sola, ſeni metuens Marito.
Hymen! moraris? Iunoque? an æmulos
Vxor Tonantis non patitur Thoros?

At CAROLO Flammas jugales
Pronubus ipſe Polus miniſtrat.
Et Nuptiales Tyndaridæ Faces
Geſtant *Gemelli*. Sic novus arſerat
Modò Annus, & *Flagrans* IACOBVS
Præ Thalamis, generoſa Tæda:
Sed quæ beato ſtat Dea Littore,
Lucens vt alto Cynthia ab æquore,
Naſcenſve (jam Mundo calente)
E patrio Cytherea Fluctu?
IPSA eſt! avaro lumine CAROLVM
Iam devoravit: jam cupido tenax
Prædatur Amplexu: Sed *Illum*
Mille domat Pharetris Cupido.
Alto ſenilem murmure *Sequanam*
Iam vindicandus *Rhenus* (inaudio)
Salutat Affinem; tumultu
Hinc *Thamiſin* venerantur vno.
Aſthunc, verendum Canitie novâ,
Phœbea veſtit turba liquentium
Cygnorum in Hymnos Coniugales,
Gallica queis iterum coibit
Olim-Revulſæ Terra *Britanniæ*;
Auctura multo ſæcula Numine:
Quod Nubibus *Bardi* loquentur,
Et *Druidum* numeroſa Muſa.

Tho. Maſter, Nov. Coll. Socius.

QVod monſtrum? admotos ſentit iam *Carolus* ignes,
Furtiua & totas populatur flamma medullas:
Numquid Febrilis? Fallor: neſcire paternum
Hoc vnum liceat. Video tædaſq; iugales,

Quaſq; faces accendit Hymen, quas pronuba Iuno,
Sponſaq; perpetuos regno paritura nepotes.
O fælix thalami nobis concordia! qualem
Credibile eſt ipſam *Gallos*, interq; *Britannos*
Naturam voluiſſe, ſitu queis regna propinquo
Iunxit, & anguſto diſtantes limite terras.
Exuperent noſtros tam publica gaudia luctus,
Gallia nec mærens ciuilis damna cruoris
Lugeat, aut truncas inhoneſto vulnere turres,
Neſciat atq; ſuum terra hæc perijſſe *Iacobum*.
Audiat hanc pompam diſcors Europa, tumultu
In facinus, furiaſq; ruens, pauliſper & armis
Exoneret miles feſſum latus: ære ſtrepenti
Martia ferales dediſcat buccina cantus,
Tympana proq; tubâ reſonent, paſſuq; ſoluto
Iam ducant feſtas per compita læta choreas.
Talitèr exultent gentes, cum regna maritet
CAROLVS, & faciat fælici fœdere, poſthac
Fabula ſit *Galli* cantu trepidare *Leonem*.
At tu, cui regni ceſſit ius omne ſecundi,
Depoſitum tam grande tuo, Neptune, profundo
Commiſſum reddas. Adſit Venus alma precanti
(Ni formæ metuat) nativum ſternat & æquor,
Compoſitaſq; ſerenet aquas: Tuq; vnda Britannis
Invida, quæ medios interſeris vndiq; fluctus,
Pone minas, oneriſq; memor nunc murmure paruo
Lætitiam fateare tuam: ſic nota per orbem
Helleſpontiacæ tibi gloria ceſſerit vndæ.

Eſdras Booth Art. Bacc.
Noui Coll. Socius.

CAROLI & MARIAE.

Ad Regios Coniuges,
De Floribus Britanniæ & Galliæ
Roſâ Lilioque.

LIlia Iunoni fertur ſacrâſſe vetuſtas,
Ius habet in ſuaues Cypris Hymenéque Roſas.
Hinc implent Thalamos Genialia Numina veſtros,
O Flores Hominum, dignaque Cura Deúm.

Rich. Parſons, Art. Bacc.
Nov. Coll. Socius.

Carolus Steward Rex eſt:

ANAG.

Cor Deus eſt: tu lux es rara.

REgis cor Deus eſt: Regni lux CAROLVS: illud
Lumen erit radians cuius origo Deus.

Hum. Sanders, è Coll. Oriel.

QVàm fuit hic Annus crebro Mirabilis imbre?
Creber fæcundos fecit at imber agros.
Nil mirum: Lacrymarũ inſtar, nuperrimè ademptum
Immenſæ Regem copia fleuit aquæ.
Excipit at CAROLVM regnantem copia rerum:
Fælicis regni ſit precor auſpicium.
Anglia at æſtiuam veſtem cur induis? ornant
Cur te adeò donis Flora Cereſque ſuis?

Agnoſco: Lætos *Caroli* viſura Hymenæos
Culta verecundo veſtis honore nites.

R. Carpenter, è Coll. Oriel.

NVnc mero curas iugulet rebelles
Anglus, ac ep'lis variiſque mentem
Ferculis diſcretim oneret, bimater
Adſit Iacchus.
CAROLO REGI Venus ecce ceſſit,
Et potens arcu; properatq; Nympha
Ire reſtinctum, videt ipſa pectus
Regium aduri.

Dan. Gotzæus, Palat. Exon. Coll.
SS. Theol. Stud.

QVæ quondam à Gallis diuiſa eſt terra Britanna,
Inq; duas abiit, quæ prius vna fuit:
Auſpiciis (Rex Magne) tuis facta vna, iugali
Nectitur Anglorum Gallica terra toro:
Diſtinguit tantum Gallos, non ſeparat, vnda;
Et via fit pelagus, quæ modò pontus erat.

Guil. Chambers Æneanaſ. A. Bac.

VSq; tuos maceras mœrore Britannia vultus?
Deſine *Iacobi* funera flere Tui.
Mæſta diu ſatis es, renoves iam gaudia; cauſa eſt
Lætitiæ duplex, vna doloris erat.

Rich. Johnſon è Col.
Ænei-Naſ. A. B.

Ἀποσφὴ ad Regem *Carolum*.

MIttit ab Eoo coſtam tibi, CAROLE, gratam
Rex Regum, quâ Te proſperitate beat.
Qui Tibi charus erat, Deus abſtulit antè Parentem;
Dat Tibi conſortem, Tu quia charus ei.
Conſortem dico Gallam; vix pulchrius illâ
Cœlum: Nil iſtâ clarius orbis habet.

Ad MARIAM *Reginam*.

Regna, MARIA, capis fælicia, læta, quieta,
Æternùmq; habeas: Sint rata vota precor.

Ioh. Hoffmannus Germaniâ Archi-
palatinus è Col. Exon. A. B.

VNa, Rex, quidnam face nuptiali
Digna cenſetur tibi Galliarum
Nobilis virgo, benè nata claro
Sanguine regum?
Sic Deo viſum, mare qui procellis
Aſperum nigris regit, atq; terræ
Imperat nudę, variiſq; mundum
Temperat horis.
Is nihil ferri patitur, rapacis
Fluminis ritu, duce quo ſacratum
Coniugî fœdus populos in omnes
Profluit orbis.
Hoc pio voluens animo, Britanna
Quam ferax frugum pecoriſq; tellus
Excipit, regni ſociamq; gaudens
Suſcipe lecti.

Exeras vultum populo ſerenum
Subdito, qui ſi veluti novum ver
Fulſerit, vel lux radiante ſole
Gratior ibit.
Iam Deo præſtes ſpiſas iuvante
Angliæ longas, caueaſq; charos
Impius ne hoſtis ſubiens penates
Terreat vnquam.
Prouidus regni Deus ipſe clavum
Tractet, vt reſtet locus hoſpitalis
Plurimis verę fidei per ævum, &
Anchora ſacra.
Omnium cedat tibi plena rerum
Copia, & proles ſiet, vt paternum
Occupet ſemper ſolium ſuperſtes
Regius hęres.

Marcus Ziglerus Archi-pal.
è Col. Exon. S. T. Stud.

QVę ſilvas colitis vos florida prata Napeę,
Lactis amica Pales, in mea vota veni:
In mea vota veni tu corniger incube, dici
Seu magè Faunus amas, terror Hamadryadum;
Invicto Regi veſtro ſua munera ferte,
Per quem nunc populo eſt priſca repoſta ſalus:
Hunc canite intrantem thalamum, rerumq; potentem
Suppliciter precibus ſollicitate Iovem,
Vt qui iam terræ veſtræ proſpexit abundè
Ipſe ſui cernat pignora mille tori.

Paulus Woneccerus
Pal. è Col. Ieſu.

Ingemines

INgemines lætos exultans Anglia plausus,
Gloria Gallorum pulchra MARIA venit.
Pulchra MARIA venit, crines & eburnea cervix
Excellunt vultus ô Cytherea tuos.
Non formam mortalis habes, cœlestis imago
Condecorat faciem blanda *Maria* tuam.
Festinas? tardum est: vtinam Regina volares:
Donec abes, mensis quilibet, annus erit.
Angliacas te lætus Hymen conducat ad oras,
Tranquillum pelagi det tibi rector iter.
Coniuge cum casto consummes Nestoris annos,
Ex vtero veniant diiq; deæq; tuo.

Solomon Richardson,
ex Aul. Gloces.

QUid sibi vult hæc tanta cohors? quæ causa triũphi?
Num Regis CAROLI tæda iugalis adest?
Connubio iunctus Rex est: det Buccina cantus,
Vt super alta Poli sydera clangor eat.
Tædifer hos thalami festos Hymenæus adoret,
Vultu adstet læto pronuba Iuno suo.
Virginis illustris titulum indit Gallia: sponsæ,
Anglia dat charum nomen amoris ei.
Rex CAROLVS viuat: vitam cœlestis Elizæ
Filia Regis agat, Sponsa, *Maria*, Soror.
Approbet hoc ingens magni fabricator Olympi,
Et mea vota sinat pondus habere Deus.

Ric. Humphrey ex
Aul. Gloces.

Epithalamia *Oxonienſia*

LVx fauſta ſalue,& gaudiis noſtris faue,
Abſterge lachrymas humidis Britonum genis;
Iugalis Hymen regios decora toros
Hymno canoro,cithara pulſetur noua.
Dryades choræas hinc & hinc ducant leues,
Hermeſq; doctos fiſtula pangat ſonos.
I fama,ſcinde,ſcinde ſtridentes Notos,
Coniugia magni Regis Anglorum tuba
Vltra columnas Herculis reſonet tua,
Reſoniſq; montes vndiq; ingeminent ſonis.

Guil. Wheare Gloceſt.

GAllica *Luna* ſuo eſt *Soli* coniuncta Britanno;
Appello Aſtrologos; dicatq; ſcientia,qualis
Hic erit aſpectus;numquis fœlicior alter,
Optanduſue magis ſub noſtro euenerit axe.
Vt prior occiderat Phœbus,quaſi nocte latebat
Inſula; & obducta populis caligine,veras
Anxia pullatis faſſa eſt ſub veſtibus vmbras.
Diſpulit has tenebras nuper novus ortus Apollo,
Curtatoſq; dies acceſſu luminis auxit,
Inq; dies nunc auget adhuc; nova Cynthia lucem
Exhibuit,geminumq; iubar capit Anglia rurſus;
Noſq; ſumus *minimâ contenti nocte Britanni.*

Ioh. Griffith. è Col. Nov.

COmprime lugubres nunc fælix, Anglia, fletus;
Nec pudeat lacrymis impoſuiſſe modum.
Si Regem amiſſum quæras, en CAROLVS; *Annam*
Si doleas raptam,flere *Maria* vetat.

Rob. Heyſome è Col. Nouo.

ET Nymphæ, Chariteſq; Curiales,
Et toto viduans choræa luſtro;
Eia iam ſolitos novate nexus
Et plantæ nimis exulantis orbis.
Gallis venit Hymen remiſſus oris,
Iô venit Hymen; Miſertus *Annæ*,
Plorantiſq; ſuam cohortis *Annam*,
Reginam veteremq; ſpondet Aulam.
Eia iam ſolitos nouate nexus:
Inſtruxit varias Cupido flammas,
Prophetat facibus platæa quinis,
Eia iam ſolitos novate nexus.
Ignes ſic ego malo *Marianos*.

Guil. Barker è Col. Nouo.

Chronogram. (ex Ovid. 1. Metamorph.) 1625.

CAROLVS eſt Phæbus, radios diffundit Amoris,
Vnus & in noſtro Sol velut orbe micat.
Tu *Maria* es *Daphne*, viridi digniſſima lauro,
Quoquo reſpectu conſpiciaris, eris.
"PhæbVs aMat, VIſæqVe (InIIt) ConnVbIa Daphnes;
Qualia vult ſperat, qualia ſperat habet.

Carolus Langford, è Coll. Novo.

TRaxerat in lites Pomum tria Numina: Regis
Nymphas tres pariter ſollicitavit amor.
Vincere eran' omnes dignæ, magis vna placebat
Henretta, & palmam (quam Venus antè) tulit.

Th. Mallory è Coll. Novo.

TEq; tuamq; alius, quanto decet ore, MARIAM
Cantet, & in laudes ingenioſus eat:
Tu ſatis ad dandas centena in Carmina vires,
Hoc tamen Iliadis diſtichon inſtar erit;
Anglia iam Gallis murus ſit aheneus, Anglis
Gallia; coniugio fiet vtrumq; tuo.

Dan. Darnelly è Coll. Novo.

CVr non è terrâ, ſed de ſpumantibus vndis
Nata, ſed irato ſit Cytherea mari?
Non, quâ diſcordes concordi pace ligentur?
Non, quia ſemotos iungit amore Venus?
En, Venus orta Mari mare præſtat euntibus: ecce,
Quos mare ſemouit, iunxit amica Venus.

Ed. Yonge è Coll. Nouo.

INvida terrarum quorſum hæc diuortia? cincta eſt
Littore Ibera ſuo terra, Britanna ſuo.
Anglorum liceat modò perſcrutarier ortus,
Poſteritas Gallos Angla vocabit avos.
Quidni cognatos iam terra reuerſa ſub ortus
Coniugio fiat Gallo-Britanna ſuo?

Io. Dennet è Coll. Nouo.

QVod fælix fauſtumq; precor, Rex Anglus iniuit
Virgine cum Gallâ fœdera caſta tori.
Par benè compoſitum: felicem viuite vitam,
Et ſoboles veſtræ ſit numeroſa domus.

Th. Roue Eq. Fil. Æn. naſ.

Quos

CAROLI & MARIAE.

QVos priùs à Gallis pelagus diviserat Anglos,
Constanti nexu nunc magè iungit amor.
Tota cohors superûm thalamos concurrit ad istos,
Gestit Hymen, fausta dans bona signa face.
Iuno licèt tristis, frontem nunc læta serenat,
Tantum coniugium casta Diana probat.
Et ne connubio tam fausto musica desit,
Hanc dant Phœbæi carmina læta chori.

E. P. Ioannens.

CAstis ô Hymenæe mactè tedis,
Adsis totus Hymen, sacroq; cantu
Vota ad delicias precesq; funde:
Illex coniugii thoriq; præses
Adsis diua Venus, tuumq; numen
Iungat sorte pares, pares amore;
Tu Pallas, licet innuba, his perennem
Adserto vnica nuptiis oliuam.
Sponsæ Pronuba Iuno solue cestum,
Et cum parturiens laboret ægra,
Fac Lucina feras opem dolenti;
Sit dextrâ leuis obstetrice partus:
Vt sic CAROLVS & MARIA cernant
Aulâ ludere parvulum *Iacobum*.

Rich. Brereton Coll. D. Io. Bapt.
convictor.

QVòd primò *Carolum* & *Mariam* cõiunxit Aprilis
Nil miror, mensem hunc vendicat ipsa Venus.

Th. Rotheram ex Æd. Ch. Arm. fil. nat. max.

Epithalamia *Oxonienſia*

QVæris cur properat *Iacobus* linquere terras,
Inſtet cum nati connubiale iugum?
Scilicet optabat tam lætum cernere vitæ,
Sed metuit ſummus ne foret ille, diem:
Hinc pius elegit potius ſuccumbere morti,
Funere tam lætum quàm violare diem.

Io. Stocke Ioann.

Anagramma ad CAROLVM.

MARIA
Amari.

DVm procus Heſperiæ longinquas tendis in oras,
Ad Gallos ſubitò (CAROLE) flectis iter.
Caſibus ingenium quantum eſt? quæ poſſet *Amari*
A te virgo (patet) Gallica ſola fuit.

MARIA,
A Mari.

Fingunt veteres Poetæ Venerem A Mari egreſſam.

Nec vult diua Cypri, nec vult Cytherea vocari,
Dicetur poſt hæc ſola * *Maria*, Venus.

Th. Darell Ænea-naſenſis,
Armig. fil. nat. max.

FLêrant amiſſi Muſæ cùm funera Patris,
Gratáq; dixiſſent CAROLE regna tibi:
En lætantur adhuc ſupereſſe negotia, poſſint
Queis cordata animi pangere vota ſui.

Moueris

Moueris haud ſtomachum, dux'ti quas ante, Camænis,
Si ſponſam thalamis iunxeris ipſe novam.
Non metuunt Muſæ diuortia, namq; perennem
Hæ poterunt ſobolem perpetuare tuam.
Nupta ſit ergo tibi tanquam Pandora precantur,
Cui ſua Diuorum munera quiſq; dedit.
Sit tibi tam felix, fælicior vlla marito
Sponſa, vt ſi vellet, non queat eſſe ſuo.

I. M. Ioan.

SI mea quid poſſint pro vobis vota valere,
Vt vobis proles ſit numeroſa, precor.
Proles, quæ ſceptro moderabitur vſq; Britanno,
Quæ *Scutum* Sociis, Hoſtibus *Enſis* erit.

Guil. Courten Eq. Aur. fil. vnic. ex Æd. Chr.

PEctore regali feruens exæſtuat ignis,
Ignis qui gelida non minuendus aqua eſt.
Sponſales ritus vigilans Hymenæus adornat,
Pulchraq; flagrantes fert Cytherea faces.
Flora ſinum vernis impleuit floribus almum,
Ad thalamos CAROLI ſit via ſtrata rosis.
Iacobi ſoboli formoſa eſt nupta MARIA,
Cordaq; ſub dextris non remouenda manent.
Et quos cælicolæ iunxerunt fœdere amoris,
Fœdus amicitiæ ſoluere nemo poteſt.
Hos deus omnipotens numeroſa prole fecundet,
Et peragant Pilii ſæcula longa ſenis.

Th. Merry Equit. Aur. fil.
nat. max. ex Æd. Chr.

Epithalamia *Oxonienſia*

TRiſtes abiiciat Melpomene modos,
Nec fœdet madidis gaudia lachrymis;
Iam dulci citharâ carmina dividat,
Et fauſtas celebrent tympana nuptias;
Nec iam fata patris lugeat invida:
Phœnices geminas Anglia proferat;
Febris ſi Genitor decidat ignibus,
Phœnix ex Patrio puluere rarior
Surgit, cùm niueo corpore Gratiæ
Certent, quæ CAROLO gratior emicet.
Concreuêre ſimul, iam ſimul ambiunt
Vxorem CAROLI Gallo-Britannicam.
Fælix adſit Hymen iungere fœdere
Intacto iuuenes, vt citiùs iugum
Soluat ſumma dies, quam querimoniis
Indiuulſus amor: ſic roſa Brittonum
Iungatur ſtephanis Iride Gallicâ.

Auguſtinus Ramerus ex Aul. Gem.

Ad Reginam Mariam *in Britanniam aduenientem.*

ADuentus tuus euentu non (credo) potitur
Optatos, quidni? grandia nulla damus.
Dona tibi, quid? nos inopes ſentis? vel auaros?
Non ſumus: at cauſæ quid ſit ergo, rogas?
Dicam. Grando tenet quodcunq; Britannia tota,
Id tibi, dum CAROLVS ſe dedit, omne dedit.

Gerardus Langbaine.

Quantus

CAROLI & MARIÆ.

QVantus iô noſtras conventus fluxit ad oras?
Vndique ſpectator cur peregrinus adeſt?
Dum venit à Rhodano Phœnix, quæ rara videtur,
Phœnicem Angligenum non minùs illa videt,
Lætitiæ hæc cauſa eſt, hoc vox denunciat omnis,
Hinc faciunt ipſi nunc, puto, ſacra Dei.
Sit CAROLVS Sponſa fælix, vox tota reſultat,
Sit ſponſo fælix ſponſa *Maria* ſuo.

Edm. Kemp Aul. Cerv. Commenſ.

NVnc Dea juncta Deo eſt; *Carolo* conjuncta *Maria*,
Aurea ſunt ſacris Lilia miſta Roſis.
Lilia *Iuno* dedit, flores *Venus* alma Roſarum,
Inſere nunc Oleam Dia *Minerva* tuam;
Et tua Parnaſſi floreſcat Laurea *Phœbe*;
Sic fiat *Carolo* fauſta *Maria* ſuo.

Ioh. Bainbridge Ioh. fil.

TV feſtas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Claudian. de nuptijs Honorij & Mariæ.

Concordes *Angli* junxêre in fœdera dextras
Cum Francis manſura; Roſis & Lilia noſtris
Gallica mixta fluunt: nunc lenis rideat aura,
Suauiter & tota ſe pandant ambitione.
Dicite Iô, votiſq; pijs vrgete (Britanni):
Numina, vos (Galli) vota hæc quoq; veſtra vocate;
Vt *Carolum* & *Mariam* proles numeroſa coronet,
Sic *Carolo* & *Mariæ* dabitur, regnoq; corona.

Hen. Barker è Trin. Coll. Commenſ.

Epithalamia *Oxonienſia*

PEr Mare quòd teneram petiit *Leander* Amicam,
Helleſpontiaci quid tumet vnda freti?
Quid fluctu audaces ſublimi tollit amores,
Quòd ſemel in medijs arſerit ignis aquis?
Hic amor actus erat flamma Genioque virili,
Et gelidam in rigido corpore ſenſit aquam;
O quid hoc eſt? quantùm ſi molli corpore Virgo
Vecta ſit Angliaci per fera monſtra freti!
Regina externum ſi per mare quærit amorem,
Quo mare, quove erit hic nomine dignus amor?
Hic amor eſt, qualem nullis extinguere pontus
Fluctibus, & totâ frangere neſcit aquâ;
Hic amor humanum ſuperat, nec leniter ardet
Fœmina; Divinis ignibus vſta Dea eſt;
Vſta *Maria* ardet *Carolo*, *Caroluſque Mariæ*
Ignibus, & Patriæ pectus vterque cremant.
Quid loquor? innocuis jam toſta Britannia flammis,
Paſſa Marianas intemerata faces;
Auditum tantos moveat ſi nomen amores,
Qualis amor formæ cùm videamus erit?
Quando nives colli aſpicimus, vultumque, genaſque,
Liliáque Angliacis Gallica miſta roſis.
Credemus Venerem noſtras errâſſe per vndas,
Et per idem vectam, quo fuit orta, Mare;
Tu modò fœlices properatâ claſſe per vndas
Virgo, Divino flamine miſſa, veni.
Tum circumfuſæ donabitur annulus vndæ.
Clarus Evangelij pro face ſplendor erit;
Non erit Auſpiciis *Iuno* tibi pronuba vanis,
Non erit à thalamis ficta *Diana* tuis;
Fælicem faciet te vera Eccleſia Matrem,
Et Regis Sponſam Sponſa beata Dei.

Ger. Warmeſtrey A.B. ex Æde Chr. Alumn.

CVr non gratus ego memorarem carmine Regem,
Anglia ſub fauſto limine quem foueat?
Ac cœli Dominum cur non in vota vocarem
Supremum, multum ſi pia vota valent?
Fœdus coniugii læto fluat omine ſemper,
A Domino huic merces defluat ampla bono.
Floreat vſq; ſolum Albionum, Solium q; quietum,
Sedem quod tutam Relligionis habet:
Regi vel ſeros DEVS addat Neſtoris annos,
Cuius adeſſe ſolet dextra benigna piis.
Rex pulchram cernat prolem longo ordine, Regis
Hæres quo teneat Regius vſq; locum.

Iohannes Henricus Vogtius Palatinus.

CAndida ſynceræ coniuncta eſt vitis OLIVÆ:
Sit fæcunda precor vitis, & alma ſuis.

Ed. Greene Armig. fil.
è Coll. S. Ioh.

CHara Deo ſoboles, Tibi non Tua ſumma poteſtas
Impatiens conſortis erat, dignaris amores,
Dignaris thalamos; ô ter Regina beata
Pulchra MARIA, tuis caſtis potitura triumphis:
Irruptos longùm, longùm teneatis amores;
Veſtraq; ſint veſtro felicia fœdere Regna.

Guil. Griffith è Coll. Pemb.

VAtes, ne dicas diuiſos orbe Britannos;
Nam iuncta eſt noſtro Gallica terra ſolo.

Theoph. Poe Doct. fil. è Coll. Pemb.

POſt hæc Iambus triſtis aut pedes nullos,
Aut claudicantes vendicet ſibi; luctum
Lugubre tributum aptamq; funeri pompam,
Nunc alia facies celebritatis exhauſit;
Et incaleſcens ſpiritu nouo Phæbus,
Poſitâ cupreſſo iam roſis coronatus
Suâq; lauro, nuptiis parat Muſas
Hilares, iocoſas; quaſq; vel ſuas poſſit
Optare genialis torus, & Hymen poſcat;
Quæ feriatos exuleſq; iamdudum
Revocent triumphos & nouos parent. Iſtis
Minor eſt Apollo ſolitus & ſequax œſtrum.
Furorq; quotidianus, & ſatis nulla eſt
Muſa vel ad ecſtaſin poëſeos plena,
Niſi plena CAROLI numinis MARIAEq;.
Enthuſiaſtes inde percitus ſacri
Myſteria Amoris veriùs recenſeret,
Æſtuſq; & Artes affatim peregrinas
Thalamis popelli, nuptiiſq; vulgatis
Ceremoniali tepidior Deus ritu
Sua mentiatur Epithalamia: ſit nobis
Poëta melior nuncius, triumphuſq;
Hiſtoria CAROLI Regis, & MARIANA.
At nemo tantas ſufficit per ambages,
Nemo procantis abdicans iter, nemo
CAROLI latentis exprimet ſatis larvam.
Dum ſic ad vmbram cæcutimus, aduerſum
Plenumq; Solis ferre quis iubar ſperat?
Solito laborans carmine en furit vates,
Ad hæc ſtuperet neſcius ſui, atq; artis.
Sic iam Poetæ non ſumus, ſumus myſtæ,
Votiſq; ſequimur Principem, precamurq;

Vt annuas tu CAROLE, & Deus votis;
Ille tibi, tu nobis; Iterq; tum, Princeps,
Facies (Phalange nobili licet cinctus)
Vt Solitarius, redibis vt Binus,
Cùm coniugatus, Tertiusq; post Annum.

Geo. Griffith ex Æd. Chr.
Art. Bac.

Regnantem in flammis dextram cur Scæuola iactas?
En etiam flagrans Pectora torret Amor.
Et tedas dum dextra tenet CAROLINA iugales,
Nobilior multò *Regnat in igne Manus.*

Ro. Ward Æd. Chr. Alum. Art. B.

IAm luctuosas pone Britannia
Vestes, colorem Funeris indicem:
Iam siste tam longas querelas;
Non iterum occubuit *Iacobus.*
Ille at senectę conscius inuidæ,
Tedas rogales contulit occidens,
Vt nuptias sceptrum rogantes
Imperii titulo sacraret.
Cessent ocelli nunc Mare turgidi
Iniuriosis tollere fluctibus:
Cessent & Euro fortiores,
Nec moueant gemitus procellas
Enauigandas remige Gallico:
Quem reddat oris vnda Britannicis,
Oblita naturæ suiq;:
Faueat ignibus atq; castis.

Iô propinquat vellere condita
Albo Sororum lux memorabilis;
Qua CAROLI fractos dolore
Reddit Hymen hilares Britannos.
Procedit ingens pompa, Britanniæ
Totius ars atq; ingenium: artifex
Iam ſe ſtupet, ſpectatq; lætus
Dædaleis manibus peractam.
Sed pompa maior ducitur altera
Gemmata Princeps; machina cui ſtolam
Texit Minerue, Flammeumq;,
Et dedit Indus Arabſq; baccas.
Ponto ſolutam iam Venerem trahunt
Cygni quadrigâ: Turba ſatellitum
Circumvolat fælix, amorum;
Dixeris eſſe Paphum, pilentum.
Deflet Cupido lumina, cerneret
Vt pulchriorem matre; ſed & rigent
Fiuntq; gemmę, dantq; collo
Se lachrymæ MARIAE monile.
Candore victas, dextera, ſerici
Gemmas catenis carceris implicat,
Nodo ligatas tum maritat
Tam nitido niueoq; collo.
Nunc nunc Choræas atq; tripudia
Aptata Britannia: regalem ſtruit æmula
Lectum Venus, dum ſe minorem
Iungere geſtit & Ipſa nuptam.

Iaſper Mayne ex
Æde Chr.

SIt lachrymis tandem finis, soluantur habenis
Gaudia, connexit geminas pax alta coronas.
Nupta Ioui MARIA est nostro, Regina parentum
Tantorum, proles Regum, parituraq; Reges.
O tanto nectenda viro, fælici Hymenæo
Quam resonent omnes, nomen recinantq; beatum.

Io. Pococke è Coll. Pemb.

Chronogram.

GaLLICa nIMpha feret CaLathIs tIbI LILIa pLenIs
ReX InVICte.

LIlia mixta Rosis; Regales Lilia flores
Regalesq; Rosæ: CaLathIs en LILIa pLenIs
GaLLICa NIMpha feret tIbI (ReX InVICte) Rosasq;
Illi tute dabis; sic florum iungere Reges,
Sic Regum flores decuit; CAROLOq; MARIAM.
Floreat æternùm CAROLI Rosa, pulchra *Mariæ*
In Casto Dominæ seruent se Lilia, vultu,
Mixta Rosis; & Lili-Rosas hæc mixtio donet.

Nath. Wilcocks è Col. Pemb.

QVod magnum fausumq;, Rosas *Henricus* in vnum
Discordes iunxit, bella hinc ciuilia cessant.
Quod maius, iunxit discordia Regna *Iacobus*,
Hinc sunt tuta magis, sunt hinc magè fortia Regna:
Maius adhuc, CAROLVS data Regna Rosasq, tuetur,
His decus & robur simul addit, Lilia, Regna.

Tho. Clayton Doct. fil.

Epithalamia *Oxonien ſia*

De olim ſitu, nunc connubio iunctis, Anglia Galliaq;.

FAma eſt, exiguum quas nunc interſecat æquor,
Vna eademq; olim terraq; genſq; fuit,
Fatorum diviſa metu, ne pendeat orbis
Vnius ex nutu Gentis & arbitrio.
En devincendi tamen ô ſpes. CAROLE, mundi,
Quas mare diuiſit, miſcuit orta mari.

Guil. Drake.

NOn hominem, aut Muſas ſolas, præſentis honorat
Gloria lætitiæ, mundi quiq; incola gaudet;
En hodierna dies hilares prodire volucres
Imperat, & quoſcunq; docet Natura choriſtas:
Huc veniat cantûs dives Philomela paratu,
Atq; ſimul voce aſcendens ac corpore alauda;
Et quæcunq; avium dulci modulamine pollet.
Et vocem piſces habeant, multùmq; triumphans
Saltûs garrulitas, hos exultare loquatur;
Lætitiæq; vnum ſint Terra fretumq; Theatrum.

Edmundus Vaughan
C. C. C.

SAlve feſta dies, Apollo ſalue,
Nobis tempora grata qui reponis,
Vultus, commoda nuptiiſq; verba
Poſt tot funera, ſub quibus fatiſcunt
Pulmones, oculi, atq; corda noſtra.
Et Pæan, & Hymen Iô canamus,

Cingamus

Cingamus leuibus caput coronis,
Et florum vario colore, tædas
Et iactet manus ocyùs iugales,
Et ludi celebrentur, & choreæ,
Et quæ pompa decet ſolennitatem
Tantam: fœdus enim duplex initur,
Vno CAROLVS, & *Maria* conſors,
Iuncta eſt Anglia Galliis ſecundo.
Spes pacis ſuberit perennis inde,
Spes prolis ſuberit perennis inde
Henricum referentis, & *Iacobum*,
Præcelſos referentis & parentes,
Heroum & ſeriem vtriuſq: ſtirpis.
Et Pæan & Hymen Iô canamus.

Io. Savile Eq. & Baronetti filius
nat. max. ex Aul. Magd.

QVis iungit *Maria*, inquiris? quis regna? *Maria*:
Nomen connubium poſtulat, illa virum.

Hen. Goodricke Eq. Aur. fil. nat.
max. Coll. Lincol. Com.

GArrule, ſi quæras, tibi quis, puer, addidit *alas*,
Inter tot *Charites*, vt tua Muſa *volet*?
Cùm *ſponſam* conſtet CAROLVM duxiſſe *Mariam*,
Inde *Tui ſimilis* quilibet eſſe cupit.

Guilielmus Prideaux, Doctoris
fil. è Col. Exon.

Ὁ μαν

Ὁμηρόκεντρα.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν·
Ἕκτωρ δ' ἐν πρώτοισι κίε, σθένεϊ βλεμεαίνων
Ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν ἀγαλλόμενος παρὰ νηῶν.
Ἔνθ' ἄλοχος πολύδωρος ἐναντίη ἦλθε θέουσα
Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
Ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρι, ἔπος τ' ἔφατ', ἐκ τ' ὀνόμαζε,
Ἕκτορ υἱὲ Πριάμοιο, Διϊ μῆτιν ἀτάλαντε,
Δαιμόνι', οὐδέ μοι ἐστὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἕκτορ ἀτὰρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.
Ἀλλ' ἄγε νῦν ἐλέαιρε, καὶ αὐτῆς μύμν' ἐπὶ νήσου,
Μὴ παῖδ' ὀρφανικὸν θείης, χήρην τε γυναῖκα.
Λαὸν δὲ στῆσον· φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων·
Ὣς ἔφατ'· Ἕκτωρ δ' αὖτ' ἐχάρη μέγα, μῦθον ἀκούσας.
Τὴν δ' αὖτη προσέειπε μέγας κορυθαίολος Ἕκτωρ.
Ἦ καὶ ἐμοὶ τάδε πάντα μέλει γύναι, ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς
Αἰδέομαι Τρῶας, καὶ ἐπεὶ μάθον ἔμμεναι ἐσθλὸς
Ἀρνύμενος πατρός τε μέγα κλέος, ἠδ' ἐμὸν αὐτοῦ.
Ὣς Ἕκτωρ ἀγόρευ', ἐπὶ δὲ Τρῶες κελάδησαν.
Οἱ δ' ἵππους μὲν λῦσαν ὑπὸ ζυγοῦ ἱδρώοντας.
Ἐκ πόλιος βάξαντο βόας, καὶ ἴφια μῆλα
Καρπαλίμως. οἶνον δὲ μελίφρονα οἰνίζοντο.
Αὐτὸς δ' ἐν κορυφῇσι καθέζετο κύδει γαίων
Ἕκτωρ. οἱ δ' εὔχοντο Διϊ κρονίωνι ἄνακτι.

Εδ. ὁ Κούπερ Βαλιολ. τῶν Τεχ. Βακ.

SIc ſic; pænituit crudelia fata *Iacobum*
Victrici cecidiſſe manu: ſic numine blando
Incipiunt luſtrare ſuum ſeclus. Eugè Britanni!
Indulgete deis veniam; mœſtamq; cupreſſum
Ponite; nec ſuperos vlrrà damnate querelis.
Quin potiùs, ſacrâ cingentes tempora myrto,
Plaudite: tota Venus nam noſtris incubat oris,
Tantùm nævus abeſt; tantùm tranſvecta ſuperbo,
Sed non orta, mari: Cuius, niſi CAROLVS eſſet,
Connubio poterant genialia numina nullos
Exæquare toros. O tali digna marito!
Ergo animas ſimul & dextras miſcete: beate
Vos celebri amplexu; nexuri vincla, profanum
Quæ colat aut ſtupeat, nec diſcat ſoluere, fatum!

Ioh. Warren Wad. Coll.

SPonſa diu titulo fælix, blandoq; mariti
Nomine, cùm patrium liquit pro coniuge littus
Aſcenſura ratem; fugiebant nubila, Cete
Ludere ceſſabant; non monſtra natantia ſiccis
Acceſſere genis: fiant quaſi pontus, & aër
Imperio ſubiecta eius, quæ Principis æſtum
Sola ſuis flammis ſanat, ſuſpiria verbis
Sola ſuis. Placido forſan certamine venti,
Quò placeant Dominæ, quærunt; dant forte procellam
Invalidę lacrymæ: Tanquam penetrabile Marmor
Æquor erat. Nec Spuma ſuis fit nauſea, non eſt
Formoſis inimica Venus: Sed noxia quamvis
Vnda diu iunctas diuiſit flumine terras,
Fortè inuita, tamen placuerunt æquora gratis
Fluctibus irriguam circumplectentia puppim.

Lintea turgebant celeri impellentia flatu;
Sed modicum nitido facti pro ſole flabellum
Mitia fælices reddunt ſuſpiria venti.
Tandem aqua fluctivagæ lenis ſuccumbit amanti,
Et puduit tumuiſſe ſemel; iam velle placere,
Velle frui vicit, cum grato murmure dixit
Vnda, Vale, & magnam ſingultit mœſta ſalutem.
Fælices fines, & quæ iam prona ſalutat
Terra ratem, pulchrâ, & Diuinâ mole ſuperbam!
At non optato placuit vidiſſe Carinam
Præfixam ſcopulo; vel Sponſum in Littore ſtantem.
Arſit; & *Idalijs* ſtuduit ſe faucia pennis
Tradere (nec deerant) ſed amico vulnere læſa,
Et ſuaui decepta dolo, pro coniuge viſa eſt
Lenta, brevemq; moram multas deduxit in horas.
At ſpem fælicem lætatur adepta; Marito
Aſſociata ſuo, quem abſentem fingere ſponſum
Pœna fuit, fictiſq; nimis ſe fallere tædis.

Io. Chudleigh Coll. Wad.

VAh falſæ lachrymæ? neſcia triſtium
Ridens muſa canit læta poëmata:
Ignorant Veneris funera nuptiæ
Feſtivæ: eccè micans æthere CAROLVS
Vnà cum MARIA, lucida ſydera;
Inmittunt *Gemini* lumina proximis.
En tellus thalamo iungitur Angliæ
Galla: ah regna duo, pectus at vnicum
Sincerum: pia connubia gloriâ
Æternâ celebrent Pierides ſacræ.

Th. Stenkeley è Coll. Wad. Eq. aur. fil.

Triſtitia

TRistitia cedat, atq; pompa lugubris,
Nec qualis antè frangat horror spiritus:
Non qualia antè patimur. Illa vrna regeret
Nostros dolores, quæ dolores præbuit.
Hanc vendicat Hymen lucem, & indulgens sibi
Totas petit noctes; neq; tenebras timet,
Formosa Sponsa diem faciet. En pronubæ
Ardent faces, parantur & sacra, & tori,
Nostriq; Gallica numina inuitant Dei.
Non tęda simplex est, in vnico toro
Castè duo ampla regna sociantur simul,
Fœdereq; coëunt stabili. Iô clamate, Iô;
Pæane quisq; festa celebret, aut sacro
Hymenæo. Ita affectus decet nostros pati
Erumpere in voces: novâq; in coniuge
Regem beatum prædicare, in Rege nos.

I. G. è Coll. Mert. Art. Bac.

GRande cothurnatos docuit reboare poëtas
Fortunæ toties concussa Britannia motu.
Vidimus Hesperio vndantes fluitare sub axe
Cycladas, amissum cum iam quererемur Osirim,
Et viduata suum lugerent regna maritum.
Iacobi exequiis feralia iusta tulêrunt
Non duraturâ viuentia carmina cedro
Pieridum lymphata cohors, mystæq; nouelli,
Quos furor ingenii creat & lasciuia vates.
Iam refluente æstu & placidùm spirantibus auris,
Lætior exagitat prælum Phœbæa iuventus,
Et sperata diu celebrat connubia; tandem
CAROLVS agnouit sponsam, nova nupta maritum.
Vnctum non metuit nec scombros prodiga Musa,

Lætitiâq; ſui nimiùm profuſa recuſat
Tali in connubio perituræ parcere chartæ,
Dum ſacros ritè colimus Divorum hymenæos,
Cui natura negat, dant enthea gaudia verſum.

R. Wright è Coll. Mert.
Art. Bac.

SVſpirioſos inter anhelitus,
Et rauca Cæis Funera næniis,
Accitus incedit Cupido,
Dignus amabiliore plectro;
Miratus vdæ diluvium genæ,
Compeſcit vndas ignibus: & Facem
Furatur è Buſto iugalem, vt
Deſinat in Thalamo Sepulchrum.
Phœnix propinquæ Filia Galliæ,
Phœnix amicæ Nupta Britanniæ,
Phœnix ab extincti *Iacobi*
Funereis oritur fauillis.
Expectat Illam cum Gregibus Thetis;
Quam leuigato plurima brachio
Ductura Nais, ſubter vndas
Concipit & Veneres & ignem.
Quaſſata blando lympha tripudio,
Laſciuientem ventilat alueum; &
Natale Neptunus cubile
Præparat in Venerem fecundam.
Nereus ſuperbo murice prodigus,
Concham maritali Thalamo ſuam
Commendat: & libant corollam
Cærulei famulæ profundi

Gemmas

Gemmas marino ſepoſitas Deo,
Imoq; merſas diuitias mari;
Donant Puellæ nauiganti
Leucothoe, viridiſq; Doto.
Iam ſe laborans ipſe Amor inuidet
Luſco, Puellam cernere neſcius;
Sentitq; flammas in medulla
Veſta nouas, renuitq; vittas.
Sudata parvis Serica vermibus,
Criſpæ iocantur coniugio plicæ:
Furata ludicros amores,
Dum Domina propius caleſcunt.
Verus poetas ingenuos calor
Accendit interno ſine Delio;
Exercet omnis ſaltitantem
Muſa pedem, cytharamq; pulſat.
Quænam hiſce præſint Numina Nuptiis?
Sordeſcit Hymen; Cede Talaſſio,
Tantum in Cubile, Ipſum Britannus
Inuocet aut CAROLVM aut MARIAM.

Rich. Busby Æd. Chr. Alum.

FAllitur, incluſam proprio qui Littore Gentem
Arctârit, retinens Littore quamq; ſuo:
Nulla, licet Terram diſterminet vnda Britannam
A Gallis, Populos ſegregat vnda duos.
Gratantes coeunt Hymenæo fœdere vtriq;,
Connectunt ſocii vincula vtroſq; Thori.
Vincula grata! duo Quorum fœlicia nexu
Regna maritantur, foedere iuncta pio.
Quæ fieris Francos? referunt, Angli ſumus: Anglos?
Franci: ita converſim eſt aſſimilatus Amor.

Anglo-Franci ergo Britones, ſunt Franco-Britanni,
Quos appellavit Gallica terra Suos. (cos,
En, quodcunq; ſumus, ſumus Vnum, Vnum Vnio Fran-
Anglos, Regalis fecit amica Thori.

Guil. Hodges è Coll. Exon.

ITe procul lachrymæ, procul hinc procul ite dolores:
Ite, ſat eſt, abeant nubila, Phœbus adeſt.
Funeris atra dies abeat, meminiſſe pigebit,
Gratior Angligenis Nuncius ecce venit:
Expectatus Hymen *Francos* coniunxit & *Anglos*,
Vnus & æterno fœdere iunxit Amor:
CAROLVS vnitur MARIAE, CAROLOq; MARIA:
Gloria ſic *Francis Anglica* iuncta manet.
Iuncta manet, maneatq; diu; (mea vota ſuperſunt)
Cum CAROLO maneat iuncta *Maria* diu.

Immediata Martis ac Veneris coniunctio contra Aſtronomos.

Fallitur Aſtronomus, Veneri Mars iungitur; Anglûm
CAROLVS en Mars eſt, Alma *Maria Venus*.

Samuel Auſtin è Coll. Exon.

QVis ventus placidam pererrat undam,
Molli & littora præterit ſuſurro?
Quis reddit radius vagas arenas
Indis littoribus magis rubentes?
Agnoſcas Venerem, Britanna tellus,
Orta eſt fluctibus, imperatq; eiſdem.
Hæc ignes mediis aquis calentes,

Et

Et veſtras Hymenæe nuptiales
Hæc tædas alit; iuſidenſq; ponto;
Neptuni retinens manu tridentem,
Atq; vndas tumidi premens profundi,
Tutâ nauigium viâ gubernat.
O quantum metuit cohors ſoluta
Gallo littore, quanta vota reddit,
Tanti depoſiti timens ſaluti!
Dum ventus ſequitur nimis citato
Spectandi ſtudio, tumeſcit vnda,
Turgent carbaſa, virginiq; viſum eſt
Hoc ventris gravidi fuiſſe ſignum.
Seſe labilis æmulatur vnda,
Dumq; omnis cupit altior videri,
Tempeſtas propè ſurgit ex amore.
At cùm Nauita littori propinquat,
Quis non inuidet, inſulamq; noſtram
Mundo crediderit beatiorem?
Æquor pondere nobili ſuperbum,
Heu nunc in lacrymas abit ſolutum;
Et ventus modò carbaſis inerrans,
In ſuſpiria totus ingemiſcit.
Fortè & fæmina rupibus Caleti
Adverſis reſidens, ſuamq; tolli
Iam ſpectans Dominam, diu ſtupeſcit:
Sed tandem obriguit dolore tanto,
Et rupes Niobê nouâ redundant.
At præ lætitiâ ſalit Britanna
Tellus, & benè ſeparata mundo,
Tactu nobilium pedum ſuperbit.
Quò vadit nova Nupta, ſi lapillos
Calcârit pedibus, vel ipſa ſaxa
Reddit cuncta *Mariæ* Margaritas.

Si

Sic tandem obvia coniugem ſalutat,
Et magnum modò principem tuetur,
Privatum ſibi quem placere ſenſit.
O fælix coitus manuſq; ſacræ!
Non reddunt magis oppidum verendum
Becketi cineres, nec ipſe tanta
Monſtras numina Magne pſeudo-Martyr.
Vini nunc hilaris latex abundans
Londinum riget, exterum liquorem
Miretur Thamiſis Mariq; tradat,
Adq; Indos iterum pererret Evan.
Noſcant omnia CAROLI *Mariam*.

Eccè Hymenæus adeſt, nunc Anglia reddita mũdo eſt;
Secedunt vndæ, fit novus Iſthmus amor.
Anglia in *Henrico*, ſed *Scotia* iuncta *Iacobo* eſt,
Omnibus his *Gallos* CAROLVS addiderit.

Lilia iuncta Roſis Rex & Regina ſatentur,
Miſcuit hic regnis, miſcuit illa genis.

Geor. Aglionby Art. Bac. ex Æde Chr.

NVpta nunc Angli Iovis in Cubile
Aureum aſcendit, roſeo nitore
Virgo non cedens Paphiæ, ſuoq;
Nata Marito.
Dignus vnde Hymen thalamis vocetur,
Vnde Iunonem thalamis petamus
Pronubam tantis? ſocianda Iuno eſt
Ipſa Britanni.

Martinus Tynly Ædis Chriſti Alumnus,
Pro-

PRofuſè *Britones* Falerna promant,
Potetque *Anglia*, *Gallicum* racemum
Adduxit CAROLVS, novumque ſuccum
Expreſſit modò Pampini recentis,
Quo iam Pocula Gaudii coronat.
Iô noſtra ſolum iuventa pulſet,
Alternis pedibus, choroſque ducat.
Hic ver perpetuum: *Maria* flos eſt;
Sceptra & *Gallica* Lilium decorans:
Iam iam Lilium hoc *Hortulanus Anglus*
Terram tranſtulit ad ſuam *Britannam*:
In quâ delicias perenniores
Spirat, nec *Boreâ* citò caducas.
Virgo Gallica ſplendet inter *Anglas*
Nymphas, ut radio venuſtiori
Inter Luna micat faces minores;
Illi gemma oculus, nitorque ſtellæ:
Nequicquam *Herculeas*, Monarcha, noctes
Optas; dum illa tui thori eſt ſodalis,
Lucerna in thalamo nitebit ardens.

Guiliel. Howſon: ex Æde
Chriſt. Alum.

VIx vrnæ Libitina reddidiſſet
Pignus, depoſitumque grande noſtrum,
Iacobi cineres; ſuoque mæſta
Vix dum threno Elegeia deſtitiſſet,
Quin mox exequiis Hymen ſupremis
Affectu dederit novo iocoſus,
Lætas iungere nuptiaſque & odas.
Eheu tam ſubitò eſt redactus omnis

Sic in lætitiam dolor? pigetque
Tanti vel meminiſſe regis vrnæ?
Nondum mentibus excidiſſe noſtris
Damnum credite, non pati poteſt hic
Infixus dolor intimis lituram.
Sed poſtquam ſoror *Vniverſitas*, ſe
Solari ſimul, & dolere viſa eſt,
Nec paſſa Antiperiſtaſin; quid obſtat?
Quin noſtrum modò gaudium ſequatur
Non multum quoque diſſimium dolorem.
Sic lumen magè fulgidum videtur
Si iuxta renebras ſit, applicata
Nigris candida clarius renident.
Quidni gaudia noſtra duplicentur;
Quæ poſt ex quias ſtatim inſequeuntur?
Ergo nunc modulis alacriores
Iô, CAROLE, cantitamus Iô,
Poſtquam reddita CAROLO regenti
Vxor, gaudia duplicemus ipſi,
Adiunctis precibus piiſque votis;
Vt vel Neſtoreis fruantur annis
Noſter CAROLVS, & MARIA coniux:
Sint deſiderium *Britanniæ*; illa
Ceu *Dauidica* vitis, aut oliva
Stipata vndique liberûm Coronâ,
Multâ progenie beet maritum,
Ipſamque ille viciſſim; vterque regnum.

Robertus Goodwin ex
Æde Chriſti.

Fauſtas

FAuſtas ducat Hymen faces ſuperbus,
Flores Gratia deligat, coronas
Nectat Pax geminas, Deamq; amoris
Rivales ſtupeant, ſuperbiatque
Hic ſeruire, ſuum docetur vndè
Pulchrum ſpernere Adonidem reuerſum:
Damnat bellica Virbium *Diana:*
Bacchum *Lydia* deputat minorem:
Optant ſervitium pati Gelones:
Optant pace frui truces cohortes,
Pacis fœdera, Amazonum, peroſæ:
Nec curat Dominum Iovis miniſter.
Nec Iunone ſuâ Tonans tenetur;
Noſtros conſulit Aulicos vterque.
Exultent Britones ſuis triumphis;
Et ſe Gallia ſentiat beatam;
Cimbri progeniem colant, Sicambri
Sperant, gaudia Belgicus Satelles
Nobiſcum referat, geratque Laurus:
Dum vincit pietas, decorque regnat:
Dum vox hæc reſonans eat per orbem,
Dum vox hæc feriat Polos, Deoſque,
Iunxit ſe *Mariæ* Monarcha ſummus,
Iunxit ſe CAROLO Decus ſuorum.

Ludovicus Williams Ædis
Chriſti alum.

EFfũndas fauſtâ tua vota *(Britannia)* voce,
Signaq; lætitiæ candidiora geras:
Iamque catenatas ceſſes numerare querelas,
Nec tantùm lacrymis ſit tua nota fides.

Quippe maritali dare vota ſecunda triumpho
Cæſaris, eſt pietas non minor, atq; fides.

De Maria *Regina Oceanum* Britannicum *tranſeunti.*

Miraris Pelago prognatam obducere vultum,
Et ſua cæruleo membra negare freto?
Iudice Naturâ diſcedit ab æquore, cuius
Imperium Veneres non ſinit eſſe duas.

Petrus Tryon, ex Æd. Chriſt.
Armig. Fil. Nat. Max.

NVptias fauſtæ properate naves,
Noſtra maturate Britanniæque
Vota; ſic tutò, date, nupta noſtras
Tendat in oras.
Reprimant fluctus tumidi procellas,
Nec minas iactet mare, & illa nympha eſt,
Et Venus, ſi quid Venerique honoris
Reſtet in vndis.
Tuque qui regno maris à Britannis
Diuidis Gallos, tamen auſpicato
Fœderi parcas, neque coniugales
Exime tædas.
Néve divellas animos amantûm:
Gentium votis precibuſq; noſtris
Alterum tu *pacificum*, piumq;
Annue numen.
Thamiſi tradat ſocialis ordo
Naïdum Nympham, referatq; nobis

Illè

Ille reginam, CAROLOQVE nuptam
Pronubus amnis.

Iohannes Gwin, ex æde
Christi Alum.

LArvalem faciem, togamq; pullam
Ponat curia, fortitèr resistat
Plebs captiua doloribus molestis,
Regnavit nimiùm dolor tyrannus;
Lætari Cytherea mandat, Hymen,
Et nexæ Charites, *Maria* mandat.
Gallorum decus ac honor Britannûm:
Calcetur, pereatq; luctuosa
Vermes & tumulos olens cupressus,
Et subtexere myrtinis coronis
Festinet virides Aglaia lauros.
Iam crimen facinusque censeatur,
Non dediscere turbidas querelas,
Non rumpi tremuliq; vi cachinni:
Magno pectora congelata luctu
Soluit tæda, fouetq; coniugalis
Flammis lucidioribus, finitq;
Cæcos funera lachrymando ocellos
Claro lumine gaudium videre,
Et pompas, Hymenæe, quas parâsti:
En vernus Zephyrus colorat herbis,
Flores eliciens tepore, terram:
Gestit Vestaq; nuptiali amictu
Nostrorum comes esse gaudiorum:
Multum at, CAROLE, lilium rosamque
In sponsæ videas genis, vel hortos

Epithalamia *Oxonienſia*

Floræ quæ ſuperant decore amæno.
Regis nata, ſoror, beata ſponſa,
Tota eſt Regia, tota digna nato
Iacobi, & triplici *Maria* regno:
Merces, CAROLE, digna, ſi labores
Alcidis iubeat pati nouerca;
Si Piſæ foret ambienda lege,
Non curſum fugeres periculoſum.

Edvardus Fulham, ex
Ædc Chriſti.

FLevimus extincti modò triſtia funera Regis,
Funera flebilibus digna fuêre modis.
Excipit at Regem Rex Patrem Filius, atque
Coniugio lætos nos facit ille ſuo.
Totos pande ſinus, ut, tota Britannia, fundas
Gaudia, & adde tuos, Gallia tota, choros.
Vox populi eſt eadem, *Rex & Regina Beati*,
Progenie fælix fiat vterq; magis.

Tho. Wilde, Ædis Chriſti
Alumnus.

NOſtras, neſcio, quis ſonus flagellat
Aures. An crepuit thorus iugalis
Summi principis, optimæq; Divæ?
Alma huc virgo veni: veni *Maria*,
Quamuis in pelago tumultuoſo,
At molli, placido, fauente, læto
Decurret tua navicella curſu,
Nullo turbine, fluctibuſque nullis.

Sors

Sors nos quanta beat, *Maria*, quòd te
Fælix Anglia nôrit! & tuorum
Ex te iudicet æſtimetq; mores!
Gallorum genus, & genus refulgens
Ad dulcis gremium, feres, mariti.
At tu ſpes bona plurimi Britanni
Duc tecum, CAROLE, hanc: tuâq; dextrâ
Fac nitatur Amaſia iſta dulcis.
Et quantum fuerit ſatis, memento
Regum vota tibi dediſſe Regem.

Guiliel. Theloal. ex
Æde Chriſti.

SE Regina parat dum noſtris maxima terris,
Neptunus latè vndiſonum ſubſtrauerat æquor
Inſidiq; minas pelagi, nec gratior vndis
Temperies, cælóue quies demiſſa ſereno
Adfuit, aut vnquam ſpirârunt lenius auræ.
Conſpicitur ſponſa in puppe, lætiq; receptâ
Clamorem tollunt nautæ, tum vincula ſoluunt.
At iuvenes, mixtæq; viris longo ordine matres,
Et lacrymis incedendem, votisq; ſequuntur,
Fæliceſq; vias abeunti, auraſque precantur.
Et mox per pelagi multum, per dura viarum
Contigerat Cupidas dilecti coniugis vlnas.
Iam patriæ decus & ſæcli Regina, iugales
Iam te ſub leges vocat & ſua iura maritus,
Qui patriæ Princeps & tali coniuge dignus,
Connubiiſq; ſuam rectè nunc Anglia dicat.

Philip. King, Ædis
Chriſti Alumnus.

VNdè hic, lætitiâ ſtrepente mundo,
Clamor? cui thalamos parauit orbis,
Gallæ ludere geſtiunt Camęnæ;
Vnàq; Angliacæ ſalire nymphæ;
Conclamatur Hymen vbiq; et audit
Illuſtres Thalamos, colitq; Mundus,
Et tantas prohibet perire tedas.
Dum noſcunt CAROLVM ſuum Britanni;
Dum Galli memorant ſuam MARIAM.

Iohannes Harmer ex
æde Chriſt. Com.

FAuſta dies ſubit infeſtis, hæc gaudia luctus
Exuperant mœſtos: ſunt corda oblita dolorum.
Exultant triſtes animi: connubia iungit
Dum princeps, & ſola placet dum Gallica virgo.
En venit, accedit noſtris illla advena regnis.
Occurrit lætus princeps, alijq; Britanni,
Et pulchræ occurrunt vtrâque è gente puellæ.
Inter Hamadryadas Nonacris celeberrima Naias,
Et placidos quotquot ſaltus tenuêre puellæ
Adſunt Ἀωσφόρου, citharam pulſantque ſonantem.
Deinde Hymenæus adeſt vinctus ſua tempora ſertis,
Atque tori parat optatos felicis honores.
Tum ſponſi aſcendunt thalamos, & lampados igne
Extincto, multorum oculos nox occupat vna.

Guilielmus Sutton, ex æde
Chriſti Com.

Anga

CAROLI & MARIÆ.

ANglia quid lachrymas, antiquos pectoris æstus
Vt superinjectæ leniat humor aquæ?
En nunc flamma levat, flamma est medicina doloris,
Extinxitq; rogos iam nova flamma tuos; fgalis,
Hæc quoq; flamma amor est; præstò est iam tæda iu-
Funeris emeritas supprimit illa faces.
I nunc, & lachrymas posthac compeste profusas,
Nec dolor evincat, CAROLE, vincat amor.

Mich. Benet.

QVòd nunc instat Hymen, placet Britannis
Omen, coniugii parans pudici
Tædas. Omnia iam virent, amœna
Gaudent omnia: germinant feraces
Fœtus arborei: sonat volucris
Argutè, sociam sibi cöoptans:
Adsunt & violæ, rosæq; molles,
Vt fiant nitidis comis corollæ.
Quàm faustum auspicium tori iugalis!
Et nos CAROLE lætа (si quod omen
Votis) coniugio tuo vovemus.

Iohan. Berkley Æd. Ch. alumnus.

EN gaudium nobis redit pulso procul
Luctu, requirit tempus hoc vultus novos.
Absint dolores, nęniæ lugentium,
Curæq; tristes; terror hinc, ô hinc procul
Abite vana mentis ægræ somnia.
Qui nuptias iungis, timores pellito,
Placidumq; præbe nuptiis Regis diem,

Epithalamia *Oxoniensia*

En iungit imperii sibi Comitem & tori.
Gaudete pueri, virgines, simul & viri
Gaudete; CAROLE, iuncta sit coniux tibi,
Tecumq; multos exigat fœlix dies.

Gulielmus Ballow, ex Æd. *Chr.*

ANglia Rege novo fruitur, sed *Gallia* sponsâ,
Quæ dilecta viro, mare, ventorumq; procellas
Spernit, amatq; freti varios pro coniuge fluctus.
Nobilis ô Princeps, divino munere pacis
Mavortisq; potens: virgo tibi regia nupta est,
Non indigna toro tanto, tu dignus & ipsâ.
Perpetuis violis spargant Connubia Nymphæ:
Tuq; harum imprimis rerum Saturnia Iuno
Inventrix, numen cæptis adverte secundum.
Mutuus adsit amor, mens vna, atq; vna voluntas,
Et pia regalis duplicentur gaudia tædæ.

Carolus Bostocke ex Æde Chr.

PVllas Anglia iam exuat lacernas,
Et turbata prius serenet ora:
Iam quot perdidimus sepulta busto
Iacobi, redimit *Maria*: iunctis
Iam ducant manibus choros Britanni,
Et Galli pariter; tenet puellam
Loto vellere delicatiorem
Rex noster, nive Lilioq; prima
Longè candidius; tuam sequaci
Ceræ Virginis imprimas figuram
Princeps archetypam, nec arbitramur

Cœlum

Cœlum Zelotypa tumere bile,
Sinos Effigiem Tuam colamus.

Ioh. Howſon ex Æde Chr. Alum.

O quicunq; modo feretra noſtra
Spectandum ſcelus extuliſtis vrbi,
Lugentes procul hinc abite, feſtum
Hoc viræ genialis eſt origo.
Pullaram Anglia mutet & lacernam
Si quicquid doluiſſet ante, adorans
Muſas & Charites rogo ſepultas
Regis pacifici, MARIAE adorans
Fælici thalamo repullulantes.

Ioh. Hamden ex Æde Chr. Alum.

NEctere qui triſtes modò conabamur Iambos,
Nunc placido vultu Carmina læta damus.
Omnia vincit Amor: ta es, tantoq; dolores
Qui vincit noſtros, *Omnia vincit amor.*

Dum Gallos *Henretta* ſuos, *Iacobus* & Anglos
Deſerit, in patriam migrat vterq; novam.

Franc. Marſton Ædis Chr. Com.

VOs Gallæ Charites, vos Britonum Chori,
Anglæ Naïades, dicite CAROLVM.
Et veſtram MARIAM tollite laudibus.
Sanctum connubii gentibus hoc datur
Omen magnifici: copula nobilis,

Quæ mundo Britonas vniit vltimos.
Tanti ſunt Thalami vincula Regii,
Tanti conſtat Hymen. Principe cum ſuo
Communem patitur patria compedem.
Latè per populos it vagus exteros
Rumor, qui CAROLVM, qui MARIAM ſonat.
Et ne quis viduam crederet Angliam,
Præſtabit Thalamis Oceanus fidem;
Qui ſurgit tumidis ambitioſior
Vndis, qui rapidos voluitur in ſinus,
Sic dum ludit adhuc fluctibus, Angliæ
Dicatur meritò gemmeus annulus:
Ceu natura ſuam conferat huc opem,
Coniurata nouas iungere nuptias.
Angli, veſtra parùm, veſtraq; Gallici,
Proſunt vota, toros hos populi ſciant
Omnes, his Thalamis ingeminent Iô
Gallos quot metuunt, quot Britonas colunt.

Ioh. Carter ex Æde Chr.

NOctis ſol tenebras fugans opacæ,
Et lucem placidam ferens diei,
Splendens hic radiis ſuis coruſcis:
Si Solis ſocietur & ſororis
Lumen, ſi coeant vtriq; vtriq;
Defectum patiuntur, atq; terris
Hinc & hinc veniunt graves tenebræ,
Et quidam inplacidi dies videntur.
At Clarus Britonum potenſq; Phœbus,
Spargit qua radios die iugales,

Spon.

Sponſæ lumina dum ſuumq; iungit,
Splendorem geminat, magiſq; lucet,
Eclipſin patitur ſuæ nec vnquam
Lucis: nam tenebras nigras paternæ
Mortis iam face depulit iugali,
Solamen populo ferens dolenti.

Dudley Wyat Ædis Chr. Com.

In Adventum Reginæ.

GAllis gloria, gaudium Britannis,
Regalis thalami decus ſerenum,
Iam terras Britonum tuaſq; tange;
En te delicias amæniores
Amplexu CAROLVS trahit procante,
Sed virtute trahit potentiore;
Te vulgus cupit ore pertinaci,
Vultuſq; egregios rapit videndo:
Hic pompas oculo ſequente captat
Toto pectore pronus in feneſtram,
Hic nanus licet & puſillus extat
Erecto pede grandior, tuentem
Protrudens humeris vtrinq; turbam,
Et creſcens ci ò vincit altiores;
Hic nutu locat advenas ſtupentes
Pectus virgineum aureoſq; vultus,
Hic pingit digito magis loquaci,
Hi nouit, benè nouit, O beatus!
Quis ſpectacula tanta, quis triumphos
Tardo lumine negligat ſupinus?
Lux ô candida quæ tulit puellam,

Lux ô candidior tamen puella,
Lucis fabula! Quantus at sonabis
Nymphæ gloria Tu serene Princeps!
Hinc macro vetulus tremore languens
Nugas, Historiasq; veriores
Ediscet, CAROLI iugale festum
Tabella repetens minùs molesta;
Qui nec tempora nouit aut Kalendas
Elapsos numerabit hinc Apriles,
Et natalia læta computabunt
Hinc omnes pueriq; virginesq;.

Fran. Minne *ex Æde Chr.*

VEnti, quos toties iuvit fauisse Leandro,
Nocturnis timidus dum veheretur aquis;
Este magis faciles, quia tandem navigat Hero,
Gaudeat vt Thalamis coniugis ipsa sui.

Anacreonticum.

Ἦ μοῦσ' ἔχει θρίαμβον
Ἐν τοῖς γάμοις Ἄνακτος,
Οὐδὲν ταπεινὸν οἶδεν
Ἢ λεπτὸν ἐν μέτροισιν:
Βάκχος δ' ἄγει μὲ θεῖος,
Αὐτὸς πατὴρ τ' Ἀπόλλων
Εὔχωμαι ὡς χαράντε
Καὶ εὐτυχεῖν ἀμεμπτῶς
Γαμηλίοις νόμοισιν,

Οἷς

Οἵης ἡ χαρὴ τοιαύτη,
Ἣν ἀ᾽φθίτος εἶδ᾽ τὼς
Οὐ μὴ ἰδεῖν δυνήσῃ.
Ἡ ζώη ὡς τὸ Σκῆπτρον
Ἀϊδίως χρονίζων:
Ἡ τίκια ὡὸς ὁ ψάμμος,
Ἀριθμὸς ἧς μὴ ἐστὶν:
Ἀρχθεῖσες ὡς τὰ Ἄστρα
Ἀ πολλὰ καμπὲρ ἐστὶ
Τὸν Ἥλιον σεβάζῃ
Ἐξ οὗ ὁ φὼς ἀναρεῖ.

Tho. Triplet *Artium Bacc. ex Æd. Christi.*

De Effigie Sponsæ ante Nuptias Consummatas.

QVis modò Picturam CAROLO miretur Amatam?
Virtutis faciem, quam colit Ille, refert.

De Eâdem post Adventum Reginæ.

Non Locus hîc vmbræ est; Tollas tua munera Pictor:
Luce suâ splendet nunc oculatus Amor.
Nec formam, Pictor, nec Mentem effinge Poeta;
Vidimus Archetypon: Nil habet Ars quod agat.

Lud. Morgan Equitis Aurati Filius primogenitus è Coll. Iesu.

SIc vbi fata vocant, placidusq; recumbit in vrnâ
Qui fœta geminum sustecit morte Monarcham

In

Epithalamia *Oxonienſia*

In Populum, Salvere iube duo Numina Muſa;
Dia Thalia veni, iuvat indulgere Gemello,
Quêis fruimur, Domino: Titulis exurgit opimis
Anglia, cui Gallus, quos fecerat, indit amores.
Pierides vos hæc facietis carmina *Galle*;
Galle, cuius amor nobis ſic creſcit in horas.
O quàm te memorem, *Gallorum* Diva, *Britanni*
Spes Auguſta, tui memorem quia mordicus Illum
Fecerat altus amor, Quem nemo non amat altè.
Appulit Ille Dubrin veſtigia prima manentem
Coniugis, acceſſu celeri, (nam iunxerat alas
Ales Amor,) Pelagusq; fremens incenderat Ignes.
Nam ſimulac verſo remoratas flamine Tædas
Senſerat, obriguit, cauteſq; refrixit in altas
Frangeret vt Boream; vel (quod magis auguror) inde
Intumuit Refluos gemebundum pectus in Auſtros;
Aut mœrens reſono laſſavit Numina quæſtu.
Annuitur tandem: noſtras allabitur oras,
Quæ ſi non Dea ſit, poterit Dea digna videri.
Nam rediviva ſuo reparavit corda Marito
Et nobis, reparetq; precor fœcunda Deorum:
Seraq; cum Domino repetat ſua *Virginis* aſtra;
Cum Dominâ ſerus ſua CAROLVS aſtra *Bootes*
Gnoſſiaq; in ſolidum caput his bis cinge *Corona*.

Io. Potinger *Novi Col. Socius.*

QVando ſuos iungit CAROLVS cum *Virgine* currus,
Connubio (ſi priſca fides quid profit, & æqui
Virtuti non invideant ſua præmia Divi)
Naſcetur ſupra cœleſtia ſidera partus.

Alex. Hyde *in LL. Bac. & Socius Col. Novi.*

CAROLI & MARIÆ.

EN tibi plaudentes, totæq; in vota Camænæ:
Quid iam coniugii pulchrius omen erit!
Quàm duri ſuperi, quam non placabile cœlum,
Si, cùm tot precibus ſollicitetur, abeſt.
Iam nec muſa manet virgo, nec virgo papyrus:
Sed prolem thalamis dedicat ecce tuis.
Non hoc coniugium ſterile eſt, quod Nomine ſolùm
Iam potuit vates tot generare novos.

Creas poëtas (CAROLE!) quis tam frigidus
Cui non calores ignis iuſpiret tuus?
In nuptijs quis non poeta? Gaudium
Effundit ipſum carmina, & numeros docet!
Poterat IACOBI funus ingenia optima
Dare in ſtuporem! Thalamus & CAROLI nequit
Quemvis ſtuporem vertere in Muſam novam?

Thomas Blakiſton è *Coll. Reg. in Art. Mag.*

NEc ſocerũ CAROLVS, nec habet formoſa MARIA;
In ſuperas princeps ivit vterq; domos;
Dij benè: Nam Thalamis Sponſorum neuter in iſtis
Dignus, Mortalis cui pater eſſet, erat.

Edovardus Tutt *Art. Mag. è Col. Novo.*

GAllia lætetur, lætetur & Anglia multùm,
CAROLVS his Phœbus, Veſta MARIA ſuis.
Gallia lætetur, lætetur & Anglia; talis
Vnio nam Quanti cauſa futura Boni?

Ia. Lancaſhyr, *Art. Mag. Coll. Ball.*

Epithalamia *Oxonienſia*

[a] *In Orat. in init. ult. Parliam.*

HIs regnis [a] nuper te (Dive IACOBE) maritum
Dixiſti, ſponſum celebrâſti teq; Britanni s:
Sed nuperrimè erant vidua hæc tua regna (maritum
Te ſponſæ Chriſtum ſponſum æternumq; petente,
Atq; tuam ſponſam quæ cœlum prima petebat)
Curâſti tamen vt ſponſus rex CAROLVS alter
Cederet hiſce orbis te regnis, vtq; maritum
Se vxori trinæ præberet, fœdere juſto
Connubio legem non averſante. IACOBE
Connubio ſibi te Dominus ſine fine maritat,
Et CARLVM regnis, CARLO tria regna, *Mariam*
Inſuper vxorem, quartam cognomine Magni
Gallorum *Henrici* regis natam atq; *Navarræ*,
Quæ regis ſoror ante fuit, nunc regia conjux,
Ortu magna, viro major, virtute precamur
Maxima vt evadat: votis Deus annuat, vt ſit
Votis par noſtris, ſuperetque ea vota precamur.
Cum CARLO multos fœliciter exigat annos,
Pulchrâ prole parens fiat, fœcundaq; mater
Hoc faxit Dominus qui creſcere, multiplicari,
Humanum voluit genus, hæc qui vincula primus
Inſtituit, proprioq; hæc fœdera Numine ſanxit.

G. S. *in Art. Mag. è Col. Pembr.*

In Doroberniam olim (vt aliqui credunt) continenti Galliæ Iſthmo coniunctam.

OPpoſitos inter freta debacchantia montes,
Non freta, continuum ſed fuit vnda ſolum;
Invida connexas rupêrunt æquora terras,
Æquora ſed non ſic invida ſemper erunt;
Anglia Caliſias iterum amplectetur arenas,
Terras jungit amor, quas reſecavit aqua.

Ioh. Smith *Art. Mag. olim ex Æd. Chriſti.*

Epithalamium.

Fœlicioris ævi
Hymenæe, quem ſalaces
Satyri, rudeſq; ſævæ
Satellites Dianæ,
Faunuſq;, ruſticæq;
Fugiunt, timentq; turbæ;
Neq; enim tulêre tedas
Solennioris ignis,
Regisve nuptiarum,
Hirſuta turba ſciſſi
Pedis, horridæq; pellis:
O quem iuvant lepôres
Nemorumq; ſaltuumq;,
Quem rivuli iocantes
Et fontium Choreæ
Pede murmurâre cingunt,
Et Muſicâ crepante
Celebrantq; conſecrantq;
Scaturiente guttâ:
Fœlicioris ævi
Hymen pudice ſalve.
Adſit ſacer Cupido
Libidiniſq; caſtæ,
Si quiſquam, adeſto Cæſar.
Stet ad cubile ſacrum
Cupidiniſq; templum
Diamq; amoris ædem,
Properet, ſuoq; iuſſu
Natura pennicillo
Delineet fidelem

Imaginem parentum.
Miraculum peregit
Natura, coniugali
Toroq; Virginali,
Dum Galliam Britannis
Coniunxit: ô cubile
Et fœderi dicatum
Capaxq; nationum.
Aptatur omne Regi
Et filio Iacobi,
Paci quod est dicatum
Capaxq; nationum.
Hic est, videte læti,
Non lectulus, sed orbis.
Quàm Carolus Iacobum
Imitatur! Ecce; Regna
Vnivit hic in auro,
Coniunxit ille lecto.

Antonius Fawkner, *Art. Mag. Coll. Iesu.*

Ex CAROLI *nuptijs perpetuæ pacis demonstratio:*
Ad Anglos, & Gallos.

Μήτ' Ἀγλοὺς κέλται δείσασθε βραβεῖον ἔχοντας·
Μήτ' Ἀγλοὶ κέλτας δείσασθε ἔχοντες ὅμηρον.

Tho. Lawrence, *Art. Mag. & Soc. Coll. Omn. Anim.*

IAm fruimur fatis, sævumq; absolvimus orcum:
Iam sua Gens Britonum lucratur damna, *Iacobum*

Mor

Mors rapuit, sacrisq; rogi est accensa favillis
Quæ multos mundo promittit teda *Iacobos*.
Sic visum est: Regno sic nasci debuit ille,
Qui Phœnix est victurus: Iam fata parentis
Vindicat, huncq; iterum febri, Martiq; minatur
CAROLVS, optato thalamo qui cavit, vt Anglis,
Et Gallis verum venturâ in prole *Iacobum*
Dispenset, redeatq; suæ morti ille superstes.
Iamq; tibi sanam speramus, Gallia, mentem,
Quæ [a] Sancti Ludovici, & [b] libertatis avitæ
Æmula, Pontificum annatas, diplomata, fastum,
Quodq; magis terret, quàm lædit, fulminis ictum
Excutiat, triplicisq; Dei crepitacula spernat:
Pragmaticamq; novâ priscam virtute reducat,
Palladium [c] vestri non expugnabile Regni.
Cùm fers Angliaci socialia fœdera lecti,
Iussaq; Romulidum nostro postponis amori,
Spem nobis gratam das, Regni, Animæq; salutem
Auspicijs te velle tori debere Britanni:
Spem nobis gratam das, deflagrare tumultus
Posse, & post diro tot sparsa cadavera Marte
Paulatim coitura afflicti vulnera mundi.
Connubio hoc dignum pretium est, natisq; *Iacobi*,
Orbis Christicolæ vt felicia vincula fiant,
Pacificos & vterq; ferat, sine Marte, triumphos.

[a] *Lodovicus 9. cognomine sanctus pragmaticam sanctionem primus condidit A.D. 1268 viz,* Caroli Molinæum *de origine Monarchæ* Franci.
[b] *Vid.* Iacob. *Lechasserium de libertatibus eccles. Gallici.*
[c] *Vid Dnarenum de Eccl. ministri & Ben. l. 5. c. 11.*

Griffinus Higgs *Coll. Merton. Sac. Theol. Bacc.*

In serenissimorum Regis Caroli, *et Reginæ* Mariæ *nuptias.*

IVnguntur *CONIVX*; audes Grammatrice? verum est.
Cum duo sint vnum, vox licet vna tibi.

Epithalamia *Oxonienſia*

Quàm benè conveniunt Rex & Regina, beati!
Vna manus, quòd mens vna, quòd vna fides.
Sic viuant, regnent, generent quaſi corpore in vno:
Vnâ vnumque colant relligione Deum.

Ægid. Widdowes Vice-princip.
ex Aula Gloceſt.

VXor, at illa parùm; Regnum iam ducitur: ipſis
Reginæ in thalamis Gallia ſponſa jacet.
Conjugio Gens illa tuæ ſociata Britannæ eſt,
Te dignumq; torum Fœdere Cæſar habes.
Quæris & hinc ſobolem? fælices ecce triumphos
Præ manibus, Natos hos tuus ambit Amor.
Néve perire queas, ditet *Maria* Britannos
Perpetuo CAROLO, proleque vive Pater.

Guiliel. Browne, Mag.
Art. é Col. Exon.

QVos vaſtæ rupes, frendens quos diuidit æquor,
Hos blando ſuauis fædere jungit Amor.

Gallam *Herô* pulchram Britonum *Leander* in Anglo
Littore tutus habes, & *Maria* alta ſilent.
* Ovid. 3. Triſt. * *Si tibi tale fretum quondam Leandre fuiſſet,*
Non foret horriſonæ *mors tua crimen aquæ.*

Rob. Burton, S. T. B.
ex Æde Chr.

OMnia lætari te CAROLE Rege videntur:
Mærores hyemis gaudia verna fugant.

Et

Et tua perpetuò vigeant hæc gaudia verna ;
Sed careant nebulis tempora veſtra nigris :
Tranſigat ô tecum multos fæliciter annos,
Regibus ac Reges orta *Maria* ferat.
Floreat Eugeniæ proles, ſit læta Minerua:
Et redeat cælis quæ tibi chara Themis.
Arripiat ſcuticam licitantes pellere templis,
Vt ſint dilectis aurea ſæcla tuis.

G. S. Coll. Wad.

POſt CAROLVM (Neptune) quid noſtris potes
Donare precibus? ſimile quid rurſum vehas
Quo totam obæres Angliam, & cuius ſalus
Grates ſecundas bajulo poſcat freto?
Tu nempe *Maria* es ipſa quæ ſolus labor
Vrges Poetas, quæque lætitiam Angliæ
Reuocas *Mariam*; *Carolus* quâ jam redux
Iterum videtur! Tange jam portus tuos
Solumq; adorans! quæque eras Templis adhuc
Tantumque precibus nota, nunc oculis ades,
Et nos bees ſpectata: ſoſpes ſoſpitem
Te conſpicatur Anglus, & ſalus modò
Firmaſque tecum fluctuantes Nuptias
Conſiliaque inter turbida, & quouis *Mari*
Incertiora capita, jactatas diu;
Nunc in ſereno, & littore poſitas videt.
Veni expetita, quanta pars CAROLI tui
Tanta in Britannis! flamma qua Princeps calet
Accendit omnes: ſumit hinc faces ſuas
Populus amator! eſſe nec conjux poteſt
CAROLVS ſeorſim, gente non junctâ ſimul.

Reſpi-

Epithalamia *Oxonienſia*

Reſpicere noli MARIA, nec cernas procul
Redeunte ocello, ceu relinquendos tuos
Montes remotos, jamq; nubem Galliam.
Non exuis (Regina) natalium ſolum,
Extendis vltra! terra jam nubit tua,
Et conjugali jungitur pace Angliæ
Mariamque ſequitur! hîc tibi Gallos crea,
Miſcéque nomina Galliam, Angliam voces
Errare neſcis, bina gens vna patria eſt
Vnita thalamo, & ſanguine atque animo magis,
Vnúmque ſolú paſſâ diſſidium, mare.
Huic ó maritet cuncta conjugio bona
Author ſupremus! ſitque non ſobole magis
Quàm pace fœtum! ſitque & hæc ſoboles tibi.
Corona (Princeps) ſitque gnatorum tibi
Corona, numerus: Anglia æternùm ſacrâ
Vt ſpiret animâ; ſanguine & viuat tuo.
Hæc vena noſtrâ ſemper in patria fluat
Omni metallo potior, & CAROLIS novis
Dives Britannia optet haud alias opes.

Guiliel. Simonſon, Art.
Mag. Col. Mert.

QVod *Thomas Walſinghamus*, vel quod *Miremuthi Adamus* * vanis finxere Annalibus, abſit
Auſpicijs *Henretta* tuis: Tu læta Brytannos
Et fauſta in thalamos venias, paritura nepotes
Magnanimos CAROLO: terrâque marique potentes.
Qui Scelera intentata ſuis majoribus vlti,
Et Bella inteſtione malæ quæ proditiones
Concierint; laribus procul omina triſtia vertant

* *De vanitate hiſtoricorum huiusmodi egregiam conſiderationem inſtituit in ſuis* Parnaſſi *comitij* Trajano Boccalini.

In

In capita auctorum. Tunc magnis æqua trophæis
Plurima sublimes effundent carmina nostri
Sydneiyadæ, quibus ærernum pæana iterabunt
*Chauceri** *Oclevique* animæ *Beaumontibus* auctæ
Spenserisque novis; dum gaudent cernere pulchrè
Lilia mixta rosis florenti sædere pacis.

Rich. Iames. S.T.B. C.C.C.

* *Erat Chauceri discipulus et magno in libris desiderio fertur videndi regna Galliæ & Britanniæ firma pace vnita.*

FRustra pij næ fuimus, impudenterq;
Nos creduli, regj quibus darj famam
Vitamq; posthumam, macris erat votum
Versibus, ephemerisque: vita queîs ipse est
Et genius. Olim charta (sim malus vates)
Quam nos Parentalia vocavimus blandj,
Præda tineis epulumque, non redemptorem
Præter coquum expectabit, institoremvè
Scombrj. Ecce consilijs Hymen piè præest,
Et CAROLO fælix magis *Iacoboque*
(Fati quòd invidiam levat) facit iusta
Perennia; Satis nam patrj parentat, qui
Satagit nepotum. Parca jus habet nullum
In sæclâ regum, quos perennitas sacrat:
At quod *Stuarti* sanguis vsque perduret
Recturus Anglos, hoc Hymen dabit; votum
Sic publicum, omnia & Deo litant templa;
Ludant vt aulâ paruulj, sinistrâ olim
Dextrâ & putandj, qui ferant patris vultus
Aviq; sic precantur omnium modi
Et qui audere potest, nequitq; versus.

Sam. Marsh, Coll. Trin. Soc.
Almæ Acad: Procurator.

Epithalamia *Oxonienſia*

QVò me *Carle* rapis tui
Plenum. Lætitiæ quis modus? exilit
Fælix Anglia; Gallia
Fælix. Eſtquè hilaris jam Dea Caſtalis.
Queris quid facit? en canit.
Iam regnat roſa, nardo & Bromio madent
Angli ſoſpite CAROLO.
Iam longas celebres Anglia ferias,
Rerum preſide CAROLO.
Ecquando dabitur iuſtior otij
Cauſa aut tam bona gaudij?
Blandùm arriſit Hymen, & Dea Cypria;
Vivamus. Memorem cadum
* *Septim.* Regnum * Henrice ferat connubij tui
Fælix connubio tuo
* *Filia* Caroli 6. Katharina. Gallorumvè repoſtam bibat amphoram
Ex quo filia, nupſerat
* Henric. 5. *Regi Regis.* Erat pronuba bellica
Tunc Bellona toris tuis.
Nunc tantùm quatiunt pacificas faces:
Hinc nos exhilarant joci:
Viuatis: Soboles veſtra bëet tuo.
Vt lætam hiſtoriam mei
Hęc anni faciunt: Sic tua poſteris
Virtus, ſpes dabit inclytas;
Quo faſtos alij continuent tuos.

Nico: Brookes, Procurator
Vniverſitat. Oxon. Col. Oriel.

תפלה וברכה על חתנת מלך
הבריטניאה הגדולה:

יתן האל את האשה
אל בית מלכנו הבאה
כמו רחל החמודה
כמו לאה הנברכה:
אלה בנו בית ישראל
הזאת תבן בית קוריא-אל:
לעד זרעו האל ישים
גם כסאו כימי שמים:

Ad Reginam.

Salve Regibus orta & Regi nupta *Maria*,
Magna Maria ortû, *Magna Maria* toro.
Magna mihi ſemper dicêris; nata vocari
Seu *Magni Henrici*, *Caroli* an uxor, ames.

Ad eandem.

Flevimus (heu!) quondã *Henricos* Gallũ atq; Britannũ:
Ille vir, hic juvenis; *Magnus* uterq; fuit.
Mira cano; redeunt defuncti Heröes in orbem,
Dum Gallam *Henricam* *Carolus* Anglus habet.
Vna duos nobis Henricos *Magna* reducis;
Fratre ſuo gaudet CAROLVS, *Ipſa* Patre.
CAROLVS & conjux erit & Tibi Patris ad-inſtar,
Nec minùs *Ipſa* Illi frater & uxor eris.
Omine quàm dicta es felici *Henrica-Maria*!
Hoc nomen ſexûs, indolis illud habes.
Tu modò in amplexus feſtina Conjugis ire,
Mox dabis *Henricum* *Henrica-Maria* novum.

Epithalamia *Oxoniensia.*

A Madame, la Roine de la Grande Bretagne, &c.

OR c'est assez tarde, c'est assez fait la cour:
Venez en fin, venez, iouissez de l'amour.
L'amour hait delay; c'est Charles *qui vous aime.*
Prenez l'aile d'Amour, que Charles *vous entraine.*
Que si vous craignez trop les orages des eaux,
Des vents les tourbillons, des pirates les maux:
Pensez à Charles *Roy. il vous sera* Neptune,
Les eaux ne vous pourront apporter crainte aulcune.
Pensez au mesme Roy. Eole il deviendra,
Par son amour ardant tout vent appaisera.
Pensez encore au Roy. il vous deviendra comme
Mars *le Dieu guerrroier, et chassera tout homme.*
Que di-ie, chassera? il les a ià chassez,
Et sont heureusement par vous les eaux passez.
Benit soit Dieu tres-hault de sa divine grace,
Qui vous benisse à deux d'une Roiale race.

Ἐπίγραμμα.

Νήχετο Λείανδρος πάλαι (ὥς ἄδυσι) πρὸς Ἡρῶ,
Πυκνὰ δὲ νηχόμενος κύμασιν ἐξέπνεε.
Πλεῦσε δὲ νῦν ποτὶ Λείανδρον (καθὰ εἴδομεν) Ἡρὼ
Καὶ πλεύσασα ἅπαξ λιμένα εἰσέπλεε.
Ταῦτα δὲ πῶς; σαπρ' Ἀβυδήνοιο Λεάνδρου ἐρώη,
Κελτιγενοῦς Ἡρῦς ἐστι δὲ ἁγνὸς ἔρως.

Edvardus Meetkerkius, ex Æd.Ch.
Ling.Heb.Prof.Regius.

Spem fovet haud modicam Plebs Papæ addictior, vt
Non poterat luſtro Tæda, *Maria*, tuo:
Cum jam flammarent humano lumine Vici,
Atq; animata daret pabula turba Pyris:
Mitior alterius faciat jam Tæda *Mariæ*;
Flammaq;, quæ Regem, non Populum urit, Amor.
Nempè vt Romanâ jam Lege Britannia vivat,
Et cum Conjugio, contrahat indè Fidem.
Sed tamen in pœnas Vobis hæc Tæda paratur.
Quin erit hæc Lucrum, Luxq; Salusq; magis!
Augurium hinc Vrbi, ſed & Orbi, ſpero futurum,
Vt Se miretur totus Evangelicum.
Hoc ſi fiat, *Ave*, reſonent impunè, *Maria*:
Hoc dùm fiat, *Ave*, dico, *Maria* Tibi.

Lilium inter Spinas.

Gallia jam Tribulis ſua Lilia, læta, Britannis,
Iunctis maritat & Roſis:
Sunt Spinæ Tribuliſq; Roſiſq; hinc *Lilia* demùm
Vtrinq; *Spinæ* ſepiunt.
Non tamen hæc punget, ſed muniet, vtraq; Spina:
Amator hìc, non Hoſtis eſt.

Ioannes King *Pub. Acad. Orator.*

EN nos (CAROLE) fama nuptiarum
Fœcundat, tibi Muſa jam loquentem
Produxit ſobolem, tuisq; rapta
Sacravit thalamis Poema multum.
Fœlix conjugio tuo *Maria!*
Illam ſed CAROLVS magis coronas
Quam quod Rex Britonum, maritus ipſe es
Atq; idem Diadema. Cujus ardet

Epithalamia *Oxonienſia*

Dum tedas celebrare Gens Britanna
Se ſponſam celebrat, ſuaſq; tedas.
Nempe eſt non minus ipſa conjugata
Tellus Anglica: nec poteſt vocari
Cælebs Inſula, terra ſeparata
Tanto fœdere juncta Continenti.

Richardus Steward LL. Dr *Soc. Coll. Om. Anim.*

QVos Deus è cœlis mortalia cuncta gubernans
In terris ſacro conjunxit fœdere binos,
*Gen.2.24. Edixit * *ſint vna caro*: * *ſint ſpiritus vnus*
* 1 Cor.6.17. Edixit Dominus quos caſto fœdere junxit
Et ſibi conjunxit pariter, proprioſq; dicavit.
Quæ edixit Dominus, Domino adſpirante, ſequantor;
Et ſit connubium verè regale, duorum;
Ephes.5.22.23. Dum CAROLO & Chriſto ſit eodem juncta *Maria*
Fœdere ter ſacro. * Et meritò Hos dignetur amore
Cultu ac obſequio; ſic digna vtroq; Marito.
Eia age ter fœlix virgo, conſortia tanti
*Cant.4.9.10. 11. Si placeant thalami; * Si fiat plenus amore
* Pſal.45.11. 12.&c. Rex & vtereq; tuo. * Meritóq; oblita tuorum
Audi, Túq; *vide*, Domini dictamina ſacra,
Sacra tui Domini, Chriſti *Caroliq;*, Maritus
Cum ſit uterque tuus; ſic digna utroque marito.

Rob. Barcroft *S. Theol. D. & Soc. C. C. C.*

GAllia quam genuit, ſtabili nunc Anglia junxit
Connubio, tædis læta (*Maria*) tuis.
Lætior & noſtris Iris jam gaudet in hortis
Reginæ adventum condecorare ſuæ.

Digna

Digna (*Maria*) tuo CAROLO ſponſata marito,
Solaq; regali digna reperta thoro.
Regia tranſmittas multos per ſceptra nepotes,
Quo tua progenies ſit rediviva tuis.

Rich. Aſtley Cuſtos Coll. *Omn. Anim.*

Ode Nuptialis.

TRinas *Britanni* Nuptias
Celebrate læto Carmine,
Thalaſſiones dicite,
Canite ô Hymen Hymenæe Hymen:
Marita primùm *Principis*
Eſt CAROLI *Reſpublica*
Britannico-Hybernica;
Res mira, ſit ſubitò *Pater*;
Quot Subditi, tot filij;
Omnes parati ſanguinem
Pro *Patre patriæ* fundere.
CAROLO deinde Maximo
MARIA Nupſit *Gallica*;
Maria Gentes conjugat,
Quas *Maria* diſſociaverant:
(Beata ſemper *fœmina*
Quæ perpetrat Miracula)
Dij Conjugales Vberem,
Fauſtamq; tedam reddite.
Sed nec *Senis* manſit torus
Viduus IACOBI, nubitur;
Anima IACOBI Regia
Vt Sponſa *Chriſto* cœlica,

Nunc

Epithalamia *Oxonienſia*

Nunc conjugali fœdere
Sociata, in alto Nuptias
Confecit infinibiles.
Trinas *Britanni* Nuptias
Celebrate læto Carmine,
Thalaſſiones dicite,
Canite ô Hymen Hymenæe Hymen.

Guil. Peirs Dec. Petriburg; & Eccleſiæ
Cathed. Chriſti Canonicus.

MEns mea turgeſcens rupto velut aggere torrens,
Materiem nacta illuſtrem, prono impete fervens
(Neſcio quo præter ſolitum inflammata furore)
Ardet in officium, & divini vinculi honorem;
Auſa aliquid ſupra vires; quo concita motu
Fundit ab exucco juvenilem hunc ſtipite verſum.
CAROLVS Henricam, Chriſto aſpirante, MARIAM
Connubio junxit ſtabili, propriamque dicavit.
Excipiunt omen læti Galli, que Dynaſtæ,
Et Proceres Angli, plebs vtraque quæ bibit altum
Hinc Sequanam Parias lambentem gurgite Turres,
Hinc Tameſin, qui vorticibus *Luddi* alluit vrbem.
Huc ades ô Hymenæe, bonus, faciliſque jubeto
Florentem pubem, indutam thoracibus aureis
Corpora feſtinent ornare tapetibus Aulam:
Aulæis thalamum intexto fulgentibus auro,
Et Cameras vtraſque tegant velamine tantis
Hoſpitibus digno, Reginâ, Rege, tot alto
Sanguine prognatis Heroïbus, Heroïnis,
Principibus, Ducibus, Comitum ſplendore, Coronâ
Baronum, & mixtâ geminâ de gente catervâ.

Vos

Vos Charites & adeste favore & fronte serenâ,
Virginibusque suas operas & pensa puellis
Jungite; sit præsto scirporum immensa supellex,
Juncorumque acies, virent quibus atria circum:
Et florum vis ingens, qua via lata tumescat,
Compita vernescant stillantibus æmula pratis,
Sternere humum violis properent, circundare frontes
Frondibus, & pictis capita exornare corollis.
Inde chorum Cytherea regat, dum cantat Iolas
Ad Cythiaram, digitisque lyram demulcet Apollo.
Vos quibus ascensu gradu in interiora patescunt
Limina, majorum curate negotia rerum,
Me decet extremas legere imi litoris oras.
Omnia adorandæ sint Majestatis ad altum
Concinnata apicem, & sceptri sublimis honorem.
Nam venit immensum colluſtrans Insulæ opacum
Nobile Par, toto quo nullum augustius orbe
Sol videt Eõo properans de vertice in Austrum.
Sed revocare pedem melius; Mens conscia recti
Me monet: Officij memor altum ut Numen adorem,
Et precer, ut quos conjunxit Deus, hos neque fraudes,
Nec vaga suspicio, nec personata cucullo
Relligio, nec Tarpeïa derupe tumescens
Bulla petulca animos quatiat, non hosticus ensis
Separet occultæ insidiæ, neque tincta veneno
Chirotheca necet; Iesuita nec arte Pelasga
Subdolus æquivoco mentes alienet elencho.
Illa nec effuso gemini quæ sanguine Regis
Sævit adhuc quærens alium sitibunda cruorem
Sica petat, quam Cos Loy-litica reddit acutam.
Ipse sed omnipotens vincli inviolabilis author
Sospitet; & veluti incepit, sic fortis utrumque

Servet ad Hæredem, & fœlicia pignora, Natos
Et Natas, & qui poſthac naſcentur ab illis.
Ipſe & civili qui junxit fœdere Gentes
Dirigat, illud agant, quod agi divina voluntas
Mandat, & huic tanto ſubmittant arma magiſtro.
Militiam bello invictam, populoſque fideles
Atque Senatores habeant: Si motibus orbem
Concuſſum inveniant, reddant moderamine juſto
Placatum, & placidâ ac tranquillâ pace fruentem.
Vos Duo florente Imperio, longoque Beati
Tardiùs è terrâ ad cœlum migrate, coronas
Gloriæ adepturi marcore & fine carentes.

Leon. Hutten *S. Theol. D. Eccl. Chriſti Prebendarius.*

Ad

Ad Lectorem.

EN promissa Nouo calentis æstu
Musæ carmina: Si minùs poetam,
Fingentemve minùs loquantur artem,
Dic nos, Lector, Apollinem Deamq;
Veraces habuisse; gaudiumq;,
Dic, quòd simplicius, carere larva.
Fuco noluimùs placere, iuxtà
Nescit lætitia & dolor colores.
Quod si liberius iocatur æstrum,
Si venam dederit loquaciorem,
Tanto luxuriatus in triumpho
Sed verax Hymenæus, illud vltrò
Ignoscès hilari, reor, Camœnæ.
En quantum Cataclysmus æstuantes
Cancellis solitis aquas coercet,
Et se temperat vnda, dum tumescit,
Tantùm pectora nostra temperari
Possunt obruta gaudii procellâ.
Dediscit modulos Hymen solentes,
Dediscunt animiq; : dum parantur
Tam claras celebrare nuptias : Tum
Vel peccasse iuvat canendo; virtus
Est nescïre modum iocunditatis,
Dum cum Regibus ipsa Regna nubunt.

FINIS.